DE

BELLI PUNICI PRIMI SCRIPTORUM FONTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

IOANNES NEULING

BREMENSIS.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA HUTHIANA.

MDCCCLXXIII.

CURTIO WACHSMUTHIO

PRAECEPTORI CARISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Niebuhrius noster quondam dixit [1], si de bello Punico primo tam accurata narratio quam de bello Punico secundo exstaret, fore ut etiam a recentioribus scriptoribus pluris aestimaretur, quae Niebuhrii sententia optime confirmatur Polybii [2]) verbis, qui *οὔτε πολυχρονιώτερον*, inquit, *τούτου πόλεμον εὑρεῖν ῥᾴδιον οὔτε παρασκευὰς ὁλοσχερεστέρας οὔτε συνεχεστέρας πράξεις οὔτε πλείους ἀγῶνας οὔτε περιπετείας μείζους τῶν ἐν τῷ προειρημένῳ πολέμῳ συμβάντων ἑκατέροις.* sed quamquam permulti scriptores veteres inveniuntur, qui aut totum bellum Punicum enarrarunt, aut singulas in illo bello res gestas commemorarunt, tamen quae ex illorum scriptis servata sunt, tam exilia et manca, tam corrupta et depravata sunt, ut iusta atque integra belli narratio ex eis componi vix possit.

Qui nostra aetate de bello Punico primo scripserunt, aut non omnes inspexerunt auctores qui exstant, aut verba veterum scriptorum, qui diversissimis temporibus vixerunt, inter se confuderunt atque composuerunt, tamquam unius esset scriptoris narratio [3], aut denique neglectis reliquis scriptoribus omnibus unum auctorem, quem optimum et luculentissi-

---

1) in scholis de historia Romana ab Islero editis. 1846. I. p. 16.

2) I, 13, 11. ed. Dindorf. Lipsiae MDCCCLXVI.

3) cfr. Niebuhrii hist. Rom. vol. III. p. 508. not. 847.

mum habuerunt, secuti sunt. Alii homines docti, qui fontes, e quibus veteres scriptores sua hauserint, indagare studuerunt, aut illos solos putarunt eorum esse fontes, qui ab ipsis scriptoribus sunt appellati; aut ex rebus, quae a singulis scriptoribus referuntur, inter se comparatis, ex verbis similibus similiterque inter se coniunctis, ex ratione, qua singuli scriptores de rebus controversis disputaverunt, denique ex ordine, quo res narratae sunt, singularum narrationum fontes indagarunt, atque haec altera ratio optima atque aptissima esse mihi videtur ad veros narrationum fontes reperiendos. Veteres enim scriptores, si aliorum scriptorum mentionem faciunt, non id spectant, ut demonstrent, ea quae modo dixerint non suam esse sententiam sed alius scriptoris, atque ut aut suum cuique tribuant, aut legentes doceant, ubi plura de eadem re scripta exstent, sed ut appellando nobili et praestanti scriptore suae ipsi sententiae auctoritatem vindicent. Fontes autem, e quibus maxima narrationis pars hausta est, plerumque non sunt nominati, immo auctores, quos appellarunt scriptores, nonnunquam ipsi non inspexerunt, sed ex aliorum libris cognoverunt.

Inter eos, qui nostro tempore critica, ut ita dicam, ratione in historiam Romanam inquisiverunt, quorumque operibus usus sum, ante omnes Niebuhrius nominandus est, qui in tertio volumine historiae Romanae bellum Punicum primum enarravit, sed morte iniqua interceptus neque absolvit, neque perfecit ipse huius belli narrationem [1]). Qua re factum est, ut, quamquam ex iis quoque, quae in tertio illo historiae Romanae volumine scripta leguntur, acre Niebuhrii ingenium splendeat, tamen si comparamus ea, quae in scholis de historia Romana Bonnae annis MDCCCXXVIII et MDCCCXXIX habitis [2]) de hoc bello eiusque scriptoribus dixit, cognoscimus Niebuhrium paucis interiectis annis — quae in tertio illo historiae Romanae volumine leguntur, iam anno MDCCCXI erant conscripta — multo meliorem de hoc bello narrationem proposuisse, multo acutius atque rectius de sin-

---

1) cfr. in hist. Rom. vol. III. praef. editoris. p. II.

2) ab Islero MDCCCXLVI edit.

gulis historiae Romanae fontibus iudicasse. Niebuhrium secuti sunt Haltaus [1]) et Broeckerus [2]), qui quamquam interdum fontium auctoritatem diiudicaverunt, tamen plerumque aut unum Polybium aut Zonaram secuti sunt. Boetticherus [3]) quoque, quamquam fontes se adiisse ipse praedicavit, magis in enarrandis rebus a Carthaginiensibus gestis, quam in fontibus perquirendis et diiudicandis versatus est. Magis mihi profuerunt quaestiones [4]), quas Michaelis de bello Punico primo conscripsit, cum in prooemio in universum satis bene de fontium auctoritate atque fide disputaverit. Praeterea mihi laudanda sunt Mommseni et Ihnii scripta de historia Romana, quorum hic in annotationibus, ille in ea operis parte, qua de litteris Romanis egit, optime de fide atque auctoritate scriptorum veterum disseruerunt. Aliorum scriptorum opera, quibus usus sim, suo loco indicabo. Sed priusquam in ipsam belli Punici primi historiam inquiram, atque demonstrare studeam, ex quibus auctoribus omnia, quae de hoc bello tradita sunt, pendeant, operae pretium esse mihi videtur, breviter describere rationem, qua singuli scriptores veteres, quorum narrationes de bello Punico primo servatae sunt, historiam conscribere soliti sunt, quippe qui generatim scriptoris ingenium atque scribendi rationem bene intellexerit, etiam singulas res, quas ille tradidit, rectius diiudicare posse mihi videtur.

Antiquissimus auctor, cuius narratio de bello Punico primo servata est, Polybius est, itaque ab hoc initium faciam. — De consilio, quod in conscribenda historia secutus sit Polybius, ipse satis diserte disputavit [5]); eas tantum res gestas narrare voluit, quibus populus Romanus omnem terrarum orbem intra quinquaginta tres annos in ditionem redegerit, sed ne quis haereat aut quaerat, quibus tandem consiliis, quibus viribus opibusque instructi Romani terram et mare potestati suae subiecerint, duos libros operi suo prae-

1) Geschichte des Zeitalters der punischen Kriege I. 1846.
2) Geschichte des ersten punischen Krieges. 1846.
3) Geschichte der Karthager. 1827.
4) Traiecti ad Rhenum editae ann. MDCCCXLVI.
5) l. I, 3. III, 2.

misit, quibus bella describeret, quae proximis ante bellum Punicum secundum temporibus gesta sunt. In his duobus libris, quos *προκατασκευήν* nominavit, res non eadem quidem ubertate, qua in ceteris libris usus est Polybius, tamen satis enucleate exposuit. De ratione, qua Polybius res collegit atque composuit, hoc laudandum est, veri quaerendi atque libere profitendi studium in eo fuisse acerrimum [1]. Rerum causas subtiliter repetivit, singulorum hominum ingenia, cuiusque reipublicae formam, coeli naturam, locorum situm optime ostendit. Sed qui Polybii fidem atque auctoritatem recte diiudicare volunt, hoc respicere debent, quod persuasum sibi habuit: Romanis quasi fato (*τύχῃ*) esse permissum ut omnes populos in suam redigerent potestatem [2]. Huic tamquam divino consilio servire gloriosum ducebat, neque usquam ubi sine mendacio fieri potuit, Romanos laudare omisit; aliorum autem populorum vel ducum laudem, quae Romanorum gloriae officeret, non aeque sedulo et accurate praedicavit. Scriptorum, quos secutus est, nomina ex veterum consuetudine non attulit, nisi eos aut refellere vult, aut eorum auctoritate suam sententiam confirmare. Plerumque quidem non ipsos scriptores appellavit, sed *ἐνίους τῶν συγγραφέων* [3], *ἐνίους τῶν συγγεγραφότων* [4], *ἐνίους τῶν γεγραφότων, τινὰς τῶν λογογράφων* [5] *συγγραφεῖς* [6], *πολλοὺς* [7], *τοὺς μὲν — τοὺς δὲ* [8] laudavit aut vituperavit; alios autem scriptores, Timaeum [9], Phylarchum [10], Theopompum [11], Philinum [12], Fabium Pictorem [13] dico, saepe aut ob ignorantiam locorum, de quibus egerint, aut ob levitatem, qua res conscripserint, nimis acerbe exagitavit. Ceteros quidem

---

1) l. I, 14. XII, 10. 73. XVI. 20.

2) K. W. Nitzsch Polybius, zur Charakteristik der antiken Politik und Historiographie. 1842. La Roche Charakteristik des Polybius. 1857. Marckhauser der Geschichtsschreiber Polybius. 1858.

3) l. III, 20. 4) III, 6. 5) VI, 7. 6) VIII, 10. X, 2.

7) X, 10. 8) X, 11. XXIII, 10.

9) II, 16. XII, 3. 4. 5. 9. 12. 24. 25. 26. 28. XXIV, 4.

10) II, 60. 11) VIII, 11. XVII, 12. 12) I, 14. 15. III, 26.

13) I, 14. 58. III, 2. cfr. Vollmeri diss. de belli Punici II. scriptoribus. 1872. p. 70 sq.

scriptores ab iniquis illis Polybii vituperationibus defendere hic omitto, de uno Philino pauca proferam, qui bellum Punicum primum enarravit. Polybius hunc ab aliis scriptoribus magni aestimatum auctorem ita reprehendit, ut quamquam ipse paullo ante Philinum et Fabium τοὺς ἐμπειρότατα δοκοῦντας γράφειν ὑπὲρ τοῦ πολέμου nominaverat, legentes commonefacere videatur, ne scripta eius inspiciant, absurda a Philino esse narrata contendit Polybius; sin autem Diodori narrationem de bello Punico primo, quae ut infra videbimus, fere tota in Philini opere innititur, comparamus, minime eam πάσης ἀλογίας πλήρην esse apparebit. Nissenius [1]) quoque Philini fidem atque auctoritatem a Polybii vituperationibus [2]) defendit, cum demonstraverit, ictum esse foedus inter Romanos et Carthaginienses anno a Chr. n. CCCVI, quod Philinus commemoraverat, Polybius contra, cum foedus illud in templo Iovis Capitolini non invenisset, refutavit. Praeterea Polybius ipse sibi non constitit, cum nonnunquam Philinum secutus sit, aut Philini et Fabii narrationes contaminaverit. Merito autem et iure Fabium et Philinum reprehendisse mihi videtur Polybius, quod nimio populi sui studio capti a vero interdum recesserunt; itaque assentiri non possum recentioribus quibusdam scriptoribus, qui Polybium in hoc quoque iudicio proponendo nimis acerbum fuisse putant, neque ab Hermanno Petero [3]) illa Polybii acerbitas recte explicata esse mihi videtur, cum dicat, a Polybio ob inimicitias, quae inter Scipionum et Fabiorum familias intercesserint, annalium, quos Fabius Pictor conscripserit, fidem in dubium vocatam esse. Persuaderi mihi non possum, Polybium tam pravo fuisse ingenio atque tam vili modo sibi Scipionum amicitiam benevolentiamque comparasse aut servasse. Praeterea H. Peterus sibi constare non videtur, cum paullo post [4]) ipse affirmet, omnium veterum scriptorum proprium fuisse ut patriae gloriam in maius extollerent, neque omnino fieri posse quin quisquam res, quibus ipse aequalis sit, ita

---

[1]) Die römisch-karthagischen Bündnisse. Jahrb. für class. Philol. 1867. p. 325 sq. [2]) Polyb. III, 26.
[3]) histor. Rom. reliq. 1870. I. p. LXXXIII. [4]) l. l. p. LXXXV.

exponat, ut ex omni parte certae et exploratae haberi possint; his enim verbis Peterus mihi eandem sententiam proponere videtur quam, cum Polybius de Fabio et Philino protulerit, falsam atque nimis acerbam esse contendit Peterus. Quid? cum omnes veteres scriptores eundem errorem commiserint, non licet singulis scriptoribus eum crimini dari?

In bello Punico primo enarrando Polybius, ut supra diximus, Fabium Pictorem et Philinum fontes habuit atque eorum narrationes tam arte contaminavit ut commissura ulla vix cognosci possit, nisi Diodori Siculi scripta exstent. Diodorus enim in bello Punico primo enarrando eosdem auctores adhibuit atque Polybius, hic autem, qui a Romanorum parte stabat, magis Fabium sequebatur, ille Siculos scriptores pluris aestimans Philinum Agrigentinum optimum esse auctorem putabat [1]. Quidam homines docti affirmarunt, Diodorum Carthaginiensium partes amplexum esse, mihi autem Diodorus ipse sine ira et studio res narrasse videtur, cum scriptorem, quem in singulis historiae partibus secutus est, ad verbum plerumque exscripserit, eiusque sententias tamquam suas protulerit. In historia scribenda Diodorus ita versatus est, ut si posset in cuiusque populi historia narrationem eius scriptoris, quem auctorem sibi delegerat aut ad verbum describeret [2], aut coartaret. In rebus, quae in Sicilia gestae sunt, enarrandis patriae amor eum potissimum incitasse videtur ut populares scriptores adhiberet, itaque belli Punici primi historiam totam fere e Philini libro hausit [3]; sed cum res Romanas, quae ante hoc bellum gestae sunt, fere omnes ex uno Fabio Pictore desumpserit [4], eum in huius quoque

---

[1]) cfr. Collmanni diss. de Diodori Siculi fontibus. 1869. p. 63.

[2]) cfr. C. Heynii comment. de fontibus et auctoribus historiarum Diodori in comment. soc. Gotting. a. 1782. p. 89 et H. Nissen Kritische Untersuchungen über die 4. u. 5. Decade des Livius. 1863, p. 40.

[3]) bis ad Philini auctoritatem provocat Diodorus XXIII, 8, 7 et XXIV, 11, 1; tertio quoque loco XXIII, 17, quo librarius quidam errore captus Φίλιστος scripsit, homines docti recte affirmarunt, Philinum a Diodoro esse nominatum; at hoc loco Philinium non tamquam fontem appellavit Diodorus. cfr. Cauer de font. Agesil. p. 42.

[4]) cfr. Niebuhrii hist. Rom. II, 192. Th. Mommseni Röm. Chronol. 1859. p. 125. Collmann l. l. p. 26.

belli narratione non prorsus neglexit. Itaque si Diodori libri XXIII et XXIV. in quibus bellum Punicum primum narratum erat, integri servati essent, Polybii narrationem non solum optime supplere, sed etiam corrigere possemus; at nihil nisi eclogae ex illis libris exstant, in quibus non solum Diodori sermo ab eclogariis depravatus est, sed etiam omnis eius narratio discerpta et confusa est.

Tertius scriptor qui Philini librum inspexisse mihi videtur, est Cornelius Nepos, qui Hamilcaris vitam conscripsit. Cornelius enim saepe res quas Polybius [1]) et Diodorus [2]) accurate exposuerunt, leviter perstrinxit, ita ut aut existimandum sit, a Cornelio Nepote Polybii et Diodori narrationes esse contaminatas, quod quidem vix credendum est, cum Cornelius res nimis festinanter conscripserit; aut rerum ab Hamilcare gestarum narrationem ex ipso Polybii et Diodori auctore, Philino, esse haustam. Romanum certe scriptorem Cornelius non adhibuit, quum Hamilcarem nimis laudaverit.

De Polybii et Diodori auctoritate atque fide homines docti satis inter se consentiunt, vix autem ullum in veterum numero scriptorem invenias, de cuius auctoritate tam diversae propositae sint sententiae, quam de T. Livio, qui modo valde laudatur, modo acerbe vituperatur. Mihi quidem neque summa laude neque omni opprobrio dignus esse videtur. Satis accurate Livius res collegit, summa arte eas composuit, sed cum sibi persuasum habuisse videatur, quidquid indagari potuerit in tanta rerum gestarum copia, a prioribus scriptoribus esse investigatum, in eorum iudicio acquievit neque veterum scriptorum narrationes examinare, neque rerum quae gestae sunt ultimas causas indagare studuit, sed omnia quae digna ei visa sunt cognitu, conquisivit atque composuit [3]). Praeterea neque vitae usu, neque rerum publicarum aut militarium administratione exercitatus, philosophorum tantum aut rhetorum disciplinis imbutus historiam

---

1) cfr. C. N. 1, 2 et P. 1, 57, 7. C. N. 1, 4 et P. 1, 62, 3. C. N. 2, 3 et P. 1, 83, 1—4 et 1, 87, 3. C. N. 2. 4 et P. 1, 84, 7 et 8 et I, 88, 2. C. N. 3, 1 et P. II, 1, 6. C. N. 4, 2 et P. II, 1, 9.

2) cfr. C. N. 1, 5 et Diod. XXIV, 13 ed. Dindorf.

3) cfr. Weissenbornii praef. in ed. Liv. I. p. XXXI.

Romanam conscripsit, qua re factum est, ut nonnunquam graviter erraverit.

Tamen valde dolendum est, quod e Livii libris nihil quod ad bellum Punicum primum pertinet, servatum est, nisi epitomae librorum XVI, XVII, XVIII, XIX, in quibus multa omissa, quaedam tam vage sunt scripta, ut inde Livii sententiam cognoscere vix possis. De scriptore illarum epitomarum certum aliquid iudicari non potest [1]; nam quamquam Cobetus [2] aliique homines docti, ut demonstrent a Livio ipso esse conscriptas illas periochas, Polybium testem citarunt, qui [3] se ipsum atque alios antiquiores historicos libris suis summaria (προγραφάς) praemisisse dicit, tamen mihi persuadere non possum, illas de T. Livii opere periochas, qnae nunc exstant, ab ipso Livio esse scriptas; qui operi suo summarium praemittit, res, quae in opere ipso accuratius enarratae sunt, in summario breviter commemorare solet, periochae autem, quae dicuntur Livianae, plerumque ita sunt exiles, ut vel res, quae summi sunt momenti, et quas Livius ipse, ut ex scriptoribus, qui Livii libros exscripserunt, apparet, prolixe narravit, plane sint omissae.

Sin autem quaerimus, quo modo Livius illam historiarum molem composuerit, optime Henricus Nissen [4] viam indicasse mihi videtur, cum dicat: inter omnes auctores a Livio Valerium Antiatem saepissime esse nominatum atque acerbissime vituperatum; qua re coniecit Nissenius, vir doctissimus, Romanos Valerii Antiatis fabulis et iactationibus delectatos eius annales cupidissime legisse, itaque Livium, cum ad scribendam historiam animum converteret, Valerii annales quasi fundamentum sui operis habuisse, sed cum paullatim Valerii mendacia perspexerit, eum potissimum impugnasse. Num in bello Punico primo enarrando Valerii Antiatis narrationem unam secutus sit Livius, infra diiudi-

---

1) cfr. I. Madvigii praef. in Liv. edit. vol. IV. part II. p. VI.

2) in mnemosynes vol. XI, 15.

3) in l. XI, c. 1. ed. Dindorf.

4) Kritische Untersuchungen über die Quellen der 4. und 5. Decade des Livius. 1863. p. 46.

cabimus; Pluessius [1]) certe erravit, cum dicat Livium e Caelio Antipatro belli Punici primi narrationem desumpsisse, Meltzerus [2]) enim recte demostrasse mihi videtur, a Caelio Antipatro nihil nisi bellum Punicum secundum esse narratum.

Inde a Livii tempore per complura saecula fere omnes, qui de rebus Romanis scripserunt, unius Livii vestigia presserunt; Valerius Maximus quoque, quamquam uno tantum loco se Livium auctorem secutum esse dixit [3]), permultas narrationes ex eo hausit [4]); sed cum nihil nisi exempla vitiorum, virtutum, morum, institutorum ex historia Romanorum exterarumque gentium colligere vellet, singula aut dicta aut facta, quae illustrissima aucupatus est, e media rerum narratione desumpsit atque aut ipsa auctoris verba retinuit, aut leviter ea mutavit. Saepe quidem in priorum scriptorum libris excerpendis summa negligentia atque pravissima socordia usus est, tamen Valerii Maximi libri non prorsus improbandi sunt, cum nonnunquam priorum scriptorum narrationes contineant, quae aliter deperditae essent.

Diligentius atque accuratius C. Plinius libros de naturali historia conscripsit, permultorum scriptorum opera excerpsit, sed cum e veterum consuetudine bonorum et malorum auctorum narrationes contaminaverit atque inter se miscuerit, Plinii quoque auctoritas tota pendet ex auctoribus, quos singulis locis secutus est. At dicat fortasse aliquis Plinium ipsum fontes suos accurate in primo historiae naturalis libro indicasse, itaque eius auctoritatem facillime diiudicari posse. Sed H. Brunnius optime demonstravit [5]), Plinium etsi in universum eodem ordine, quo in componendis libris usus sit auctoribus, eos in indices rettulerit, non semper auctoris nomen eo loco iam attulisse, quo scriptorem inspexerit.

---

1) de Cinciis rerum Romanorum scriptoribus. 1865. p. 48.

2) de Coelio Antipatro belli Punici secundi scriptore. 1867. p. 12.

3) I, c. 8.

4) cfr. Kempfii praef. in ed. sua p. XV et U. Koehleri libellum de ratione qua T. Livii annalibus usi sint historici Graeci atque Latini. 1860. p. 28.

5) de auctorum indicibus Plinianis disputat. isagogic. 1856.

Praeterea Plinius scriptores, quos in corpus quoddam redactos [1]) habuit, eo ipso quo invenit ordine, in indices rettulit, nulla habita ratione, quo ordine ipse in libris conscribendis eos secutus sit.

Eadem ratione qua Valerius Maximus etiam Sextus Iulius Frontinus priorum scriptorum libris usus est, hic nihil nisi strategemata, ille facta et dicta memorabilia elegit. Strategemata, quae dicuntur, se eam ob causam collegisse dicit Frontinus [2]) ne, qui rebus occupati sint, singulis et sparsis per innumerum corpus historicorum persequendis exemplis tempus tererent; sed non omnia, quae utraque lingua tradita sint, se conscripsisse exempla, quae autem transmiserit, facile sub sua quaeque specie subgeri posse; qua concessione postea interpolatores tam sedulo usi sunt, ut non solum in tres illos a Frontino conscriptos libros permulta exempla inseruerint, sed etiam quartum totum librum addiderint, quam operis Frontiniani depravationem Curtius Wachsmuth, vir illustrissimus optime demonstravit [3]). Frontinus ipse quidem haud inepte aut leviter narrationes collegit atque digessit, interpolatores autem saepe ordinem confuderunt, neque solum e Livio, quem Frontinus ipse plerumque secutus est, sed etiam e Valerio Maximo multa exempla addiderunt.

S. Iulius Frontinus nihil nisi strategemata collegit, Iulius Florus omnia bella, quae Livius a Romanis gesta tradidit, in duobus libris narravit. Sed cum sibi proposuisset, ut in brevi quasi tabella universam populi Romani magnitudinem ostenderet [4]), singulas tantum res aut ab omni populo Romano praeclare gestas e Livio hausit atque ore magna sonante praedicavit. Semper victorias triumphosque Romanorum rettulit, clades eorum non commemoravit nisi ex eis eo praeclarius emersit atque eluxit virtus Romana. Ubi Livius, quem non unum quidem, tamen primarium fontem habuit, de eadem re diversas proposuit narrationes, Florus eam solam tradidit, quae Romanorum gloriae minime offecit; saepe

---

1) cfr. Plinii praef. §. 17. 2) cfr. Frontini praefat.
3) in musei Rhenani vol. XV, p. 574. 4) cf. Flori praefat.

res a Romanis gestas exornavit atque auxit, alias memoratu dignissimas perperam omisit.

De Appiano, de quo nunc pauca proferam, adhuc homines docti dissentiunt, alii [1]) nihil nisi Graecos auctores ab eo adhibitos esse contendunt, cum linguae Latinae ignarus fuerit; alii eum Romanorum quoque libris usum esse dicunt. In bello Punico primo enarrando, si Niebuhrio [2]) credimus, Fabium Pictorem, in temporibus quae praecedunt, Dionysium Halicarnassensem, in iis quae sequuntur, Polybium atque Posidonium secutus est; Hannakius quoque affirmat Dionysium Halicarnassensem plerumque ab Appiano esse adhibitum, de ceteris Appiani fontibus certam quandam sententiam proferre non conatur. Mihi quidem neque Niebuhrius neque Hannakius recte contendere videntur, Livii opus ab Appiano esse omissum, nam etsi Hadriano et Antonino Pio imperantibus Graeca lingua Romae in magno fuerit usuatque honore, tamen qui in Romano imperio munere functus est, Romanae linguae ignarum fuisse eum credere non possum. Praeterea permulta exstant exempla, in quibus Livius et Appianus easdem res eisdem fere verbis tradunt, tamen Hannakius [3]) summa arte atque subtilitate Fabium amborum scriptorum esse fontem ostendere studuit. Praeter Livium Diodorum quoque saepe secutus esse videtur Appianus [4]). Recte autem Hannakius contendisse mihi videtur, in narrationibus componendis ab Appiano unum auctorem potissimum esse adhibitum, eiusque narrationem aut ad verbum exscriptam [5]), aut coartatam, aut dilatatam [6]), aut confusam [7]) esse cum narrationibus, quas ex aliis scriptoribus hauserit.

De Appiani auctoritate adhuc certum iudicium proferri non potest; de A. Gellio autem, qui Appiano aequalis fuit,

---

1) cfr. Niebuhrii scholas de hist. Rom. ed. Isler. I, p. 20. 60. Hannak, Appianus und seine Quellen. Wien 1869.

2) l. l. p. 20 et 60. 3) l. l. p. 45 seq.

4) cfr. Appian. Samn. fr. 10 et Diodor. XXII, 14, 14. — Appian. fr. 12 et Diod. XXVII, 5. — Appian. Samn. fr. 2 et Liv. VII, 4. — Appian. Samn. fr. 2 et Liv. VIII, 4, alia.

5) cfr. Hannak l. l. p. 29. 6) cfr. Hannak l. l. p. 40.

7) cfr. Hannak l. l. p. 31 et 35.

omnes homines docti consentiunt, libros eius, quos noctes Atticas nominavit, nobis plurimi esse aestimandos. Nullo quidem adhibito iudicio, sed summa diligentia res, quae a rhetoribus, grammaticis, medicis, historicis aliis commemoratae sibi memoria dignae visae sunt, indistincte atque promiscue composuit [1]. Auctores multos adhibuit, saepe eos appellavit, librorum titulos adnotavit; saepe auctoris nomen addere supersedit, nonnunquam fontes se adiisse simulavit, quos ex aliorum scriptorum libris cognovit. In transscribendis autem scriptorum narrationibus, quas saepe integras servavit, in universum accurate atque diligenter versatus est [2].

M. Antonino L. Vero imperantibus Romae vixit Polyaenus, natione Macedo, qui cum bello Parthico exardescente aetate provectus ipse militiae labores sustinere non posset, rerum gerendarum peritissimus strategicorum, qui dicuntur, libros conscripsit non sine industria ex multorum scriptorum operibus compositos. In conscribendis rebus satis negligenter versatus est: nonnunquam res quae uno bello sunt gestae, per complures libros disjecit, auctorum narrationes modo circumcidit, modo ampliavit, multa strategemata bis et diverso modo e diversis scriptoribus desumpta rettulit, res a compluribus ducibus gestas uni tribuit [3]. Historiae Romanae parum curiosus fuisse videtur, cum omnia Romanorum strategemata uno libro complexus sit. Narrationes plerumque e Graecis auctoribus hausisse videtur, nam quod Woelfflinius [4]) affirmat, Frontinum a Polyaeno esse adhibitum, mihi parum probatur, cum Frontinus fere omnes illas res, quas Polyaenus ab eo mutuatus esse dicitur, ipse e Graecis scriptoribus desumpserit.

Maxima inter homines doctos contentio orta est de Cassii Dionis Nicaeensis auctoritate atque fide; omnes quidem concedunt eum in posterioribus operis partibus multa e Livii

---

1) cfr. Gellii praef. §. 2. et. l. XVIII, 10, 8.

2) cfr. L. Mercklin die Citirmethode und Quellenbenutzung des A. Gellius in den noctes Atticae, in annalium philol. a Fleckeisenio ed. supplem. III. p. 636. 641.

3) cfr. Woelfflini praef. in ed. Polyaeni p. VIII seq.

4) l. l. p. XIV.

libris hausisse, reliquiae autem, quae e priore operis deperdita parte exstant, quamquam permultae cum Livii aut Diodori narrationibus concinunt, tamen e vetustissimis annalibus desumptae esse dicuntur [1]). Sunt autem multi in Dionis opere loci, qui prorsus ad verbum e Livio, Diodoro, Polybio, Plutarcho exscripti esse videntur [2]), ita ut equidem Livium etiam in priore operis parte Dionis primarium fontem fuisse putem, cuius in historiam narrationes, quas e Diodoro, Polybio, Plutarcho desumpsit, addidit. Itaqué Cassius Dio in narrationibus componendis eandem rationem secutus esse videtur atque Livius, sed cum Dio, antequam ad scribendam historiam se accinxerit, pertractatos habuerit auctores [3]), quorum libris uti voluit, accuratius historiam rerum composuit quam Livius, qui inter scribendum saepe collegit, quae memoriae traderet. Paucissimae quidem e Dionis narratione de bello Punico primo exstant reliquiae, sed cum Zonaras rerum Romanarum historiam ex uno Cassio Dione hauserit [4]), ex annalibus eius satis accurate cognosci potest, quae Cassius Dio in libris deperditis memoriae tradiderit.

De Eutropio, qui Valente imperante historiae Romanae breviarium scripsit, in universum recte iudicavit Suidas, qui sub voce *Καπίτων* haec scripsit: *μετάφρασιν τῆς ἐπιτομῆς Εὐτροπίου ῥωμαϊστὶ ἐπιτεμόντος τὸν Λίβιον τὸν Ῥωμαῖον.* Livium enim in toto rerum ordine secutus est Eutropius, atque satis raro eis, quae e Livio hausit, alia admiscuit [5]), quae aut ex aliis scriptoribus cognovit, aut ipse excogitavit. Res enarrandas satis sobrio iudicio elegit, et quam paucissimis verbis accurate exposuit, nusquam consilio narrationes mutavit, satis raro erravit aut nimio brevitatis studio res confudit.

---

1) cfr. Niebuhrii Vorlesungen über Röm. Gesch. ed. Isler. I. p. 62.

2) cfr. Dionis frag. 24 et Liv. V, 27. Dionis fr. 28 et Liv. VI, 20 Dion. fr. 29 et Liv. VI, 24. Dion. fr. 35. 11 et Liv. VIII, 21. Dion. fr. 34, 8 et Liv. VIII, 35, Dion. fr. 38, 25 et Liv, X, 38, 10. Dion. fr. 57 et Liv. XXI, 42. Dion. fr. 57, 39 et Liv. XXVI, 19. Dion. fr. 59 et Liv. XLV, 44.

3) cfr. Dionis fr. LXXII, 23, 5.

4) cfr. W. A. Schmidt Ueber die Quellen des Zonaras in ephemerid. litterar. antiq. 1839. p. 258,

5) cfr. U. Koehler. l. l. p. 39.

Eutropium aetate sequitur Orosius Hispanus, qui septem historiarum libros adversus paganos composuit. Cum sibi proposuisset demonstrare, omni tempore homines malis esse afflictos [1]), res plerumque ampliavit, nonnunquam bis narravit, cum quae ab auctoribus suis varie erant traditae pro rebus diversis habuerit [2]). De fontibus e quibus sua hauserit Orosius Theodorus de Moerner accurate egit [3]) atque demonstravit, in rerum Romanarum historia Orosium quam maxime Livii libris esse usum. Praeter Livium cuius ipsa verba saepe exscripsit Orosius, etiam Florum et Eutropium secutus est, alios autem scriptores, quorum mentionem fecit, Valerium Antiatem, Claudium Quadrigarium, Polybium, Fabium Pictorem dico, e Livii libris cognovit neque ipse inspexit Orosius.

Denique libellum quendam de illustribus viris appello, quem brevitatis causa ex more recepto Aurelii Victoris nomine denotabo. De fontibus e quibus Aurelius Victor, qui dicitur, narratiunculas suas hauserit, adhuc nihil constat, res enim plerumque tam vage sunt narratae ut earum fontes indagari non possint. Multis quidem locis Aurelium Victorem Livii libris usum esse ipsa verba, quae ex illis transcripsit, demonstrant, saepe autem eis, quae e Livio desumpsit, alia aliunde petita admiscuit. Qui autem sint scriptores, quos praeter Livium auctores habuit, in universum dici non potest. Quidam homines docti Florum et Valerium Maximum [4]), alii Calpurnium Pisonem [5]) ab Aurelio Victore adhibitos esse putarunt; sed vix mihi persuadere possum, scriptorem neglegentissimum, Aurelium Victorem, summa industria vetustissima rerum monumenta requisivisse.

Haec sunt quae in universum de ratione, qua scriptores, quorum aut integrae belli Punici primi narrationes aut mancae et corruptae nobis servatae sunt, historiam conscripserint, disputanda esse putavi; pergo ad rem longe difficiliorem ut

---

1) cfr. Orosii praef. ad Augustinum.
2) cfr. U. Koehler. l. l. p. 46.
3) de Orosii vita eiusque scriptis. 1844. p. 50 seq.
4) U. Koehler l. l. p. 41.
5) Aldenhoven in Hermae vol. V, 151.

fontes indicem, e quibus illi scriptores rerum in bello Punico primo gestarum narrationes hauserint.

Causam, cur bellum Punicum primum exstiterit, veteres scriptores afferunt foedus, quod inter Romanos et Carthaginienses anno a C. n. CCCVI ictum est, aut a Romanis aut a Carthaginiensibus esse violatum. Ex foedere enim illo Romani Sicilia abstinere debebant, tamen et cum Hierone, Syracusanorum duce, foedus fecerunt et Messanam occupaverunt, quam ob causam Philinus [1]) a Romanis bellum conflatum esse affirmat. Romani contra a Carthaginiensibus foedus esse violatum contenderunt, quod ex Ampelio [2]) comperimus, qui dicit causam motus (sc. belli Punici primi) praetendi duplicem, alteram quod Carthaginienses Tarentinis adfuissent —; quam sententiam ab Ampelio e Livio esse desumptam inde colligere possumus, quod Livius [3]) Hannonem dixisse refert: „sed Tarento id est Italia, non abstinueramus ex foedere.“ Dio Cassius [4]) denique et qui eum ad verbum exscripsit Zonaras [5]) haec dicunt: *αἰτίαι ἐγένοντο τῆς πρὸς ἀλλήλους διαφορᾶς τοῖς μὲν Ῥωμαίοις ὅτι Καρχηδόνιοι τοῖς Ταραντίνοις ἐβοήθησαν, τοῖς δὲ Καρχηδονίοις ὅτι Ῥωμαῖοι φιλίαν τῷ Ἱέρωνι συνέθεντο*, qua in narratione et quae Philinus et quae Livius tradiderunt, contaminata sunt; itaque aut putare possumus a Dione Philini et Livii libros esse inspectos, aut Livii et Diodori, qui fortasse illam quoque narrationem, Philinum secutus, tradiderit, libros, aut denique scriptorem quendam a Dione esse adhibitum, qui duas illas narrationes coniunctas narravit. Has belli causas fuisse Romani et Carthaginienses affirmarunt, sed recte Dio Cassius [6]) addidisse mihi videtur: *ἀλλὰ ταῦτα μέν, οἱά που πεφύκασιν οἱ τῷ μὲν ἔργῳ πλεῖον ἔχειν βουλόμενοι, τὴν δὲ δόξαν αὐτοῦ αἰσχυνόμενοι, σκήψεις ἐποιοῦντο· ἡ δὲ ἀλήθεια ἄλλως ἔχει, δυνάμενοι γὰρ ἐκ πολλοῦ οἱ*

---

1) cfr. Polyb. III, 26, 1.

2) in libri memorialis cap. XLVI, 2.

3) XXI, 10, 8. cfr. quae in Livii periocha l. XIV exstant verba: Carthaginiensium classis auxilio Tarentinis venit, quo facto ab his foedus violatum est.

4) fr. 43, 1. ed. Dindorf.

5) VIII, 8. 6) frg. 43, 1.

Καρχηδόνιοι, αὐξανόμενοι δὲ ἤδη οἱ Ῥωμαῖοι, ἀλλήλους — — ὑφεωρῶντο. —

Constat inter omnes veteres recentioresque scriptores Mamertinorum, qui Messana erant potiti, res afflictas occasionem praebuisse Romanis Siciliae rebus se immiscendi. Mamertinorum enim altera pars, teste Polybio [1]), ad Carthaginienses confugerunt iisque se et arcem tradiderunt, pars altera Romam miserunt legatos urbem dedentes orantesque ut sibi auxilium ferretur. Senatus Romanorum, qui dubitavit, quid faciendum esset, rem ad populum reiecit, qui statim auxilium Mamertinis ferendum esse decrevit, atque Appium Claudium consulem exercitum in Siciliam traicere iussit. Mamertini Poenorum ducem, qui arcem iam occupaverat, dolo et terrore ex urbe eiecerunt, Appium Claudium arcessiverunt. Poeni ducem Hannonem cruci affixerunt, Messanam urbem terra marique obsederunt. Quo in rerum statu Hiero, rex Syracusanorum, Mamertinos facile ex Sicilia pelli posse ratus foedus iniit cum Carthaginiensibus Messanamque copiis adortus est. Tum Appius Claudius noctu insigni cum audacia fretum Siculum traiecit exercitum, a Poenis et Syracusanis postulavit, ut Messanam urbem ab obsessione liberarent. Quod cum non impetravisset, aciem contra Hieronem eduxit et Syracusanos vicit. Hiero de summa rerum aliquid mali suspicatus sub noctem celeriter Syracusas recessit. Qua re cognita Appius Claudius proximo die in Carthaginienses impetum fecit et proelio commisso multos Carthaginienses occidit, reliquos fudit, qui praecipiti fuga urbes vicinas petiverunt. Appius Messana ab obsessione liberata Syracusanorum et Carthaginiensium agros vastavit.

Haec Polybius tradit, ceteri scriptores interdum ab eo dissentiunt. Diodori quidem narratio de ratione qua Romani Messana sint potiti, non exstat, neque in Livii periocha libri XVI eius rei mentio facta est, Dio Cassius [2]) autem et qui eum fere ad verbum exscripsit, Zonaras [3]) tradunt primum Mamertinos a Romanis auxilium petivisse, deinde, cum

---

1) I, 10—12, 4.
2) cfr. Dionis Cass. fr. 43, 1—10. ed. Dindorf. 3) VIII, 8.

Romani diutius morati sint, a Mamertinis Messanam urbem Carthaginiensibus esse traditam, qui statim arcem occupaverint; tum Romanos ultro se Mamertinorum rebus immiscuisse, dolo ac vi Poenos Messana eiecisse, urbem in suam ditionem redegisse. Quae narrationum differentia hac ratione plane explicari mihi videtur, quod illa, quam Polybius tradit, a Fabio Pictore est relata, qui Romanorum periurium atque iniuriam Mamertinis imputare studuit, narratio autem, quam Dio Cassius et Zonaras memoriae mandarunt, e Philini opere est desumpta, qui a Carthaginiensium parte stetit. Zonaras [1]) enim Romanorum transitum in Siciliam *σπονδῶν διάλυσιν* nominat et Philinus Polybio teste [2]) haec dixit: — *διότε ὑπερέβαινον Ῥωμαῖοι τὰς συνθήκας καὶ τοὺς ὅρκους ἐπεὶ ἐποιήσαντο τὴν πρώτην εἰς Σικελίαν διάβασιν.* Utrum Dio Cassius haec ipse e Philino hauserit, an ex alio quodam scriptore, qui Philinum secutus est, diiudicari nequit; fortasse autem e Diodoro desumpta sunt, qui, ut supra diximus, Philinum potissimum adhibuit. In posteriore operis parte Dionem Cassium Diodori libris usum esse constat, cum in reliquiis libri XXXVI Diodorus appellatus sit [3]). Dindorfius quidem negare videtur, fragmentum illud esse Dionis Cassii, cum in Sullae vita [4]), quam Plutarchus conscripsit, eadem legantur; sed Plutarchus neque Livium neque Diodorum eo loco appellavit, librarius autem illa nomina certe non addidit, itaque credere non possum, fragmentum illud, quod in codice Vaticano [5]) inter Dionis Cassii reliquias legitur, non esse Dionis Cassii sed Plutarchi. Quae cum ita sint, verisimile videtur esse, etiam in priore operis parte Dionem Cassium Diodori libris usum esse. Atque mea sententia magis confirmari mihi videtur narratione pugnae navalis in freto Siculo inter Romanos et Carthaginienses commissae, quae eisdem fere verbis in Diodori et Dionis Cassii eclogis legitur.

---

1) VIII, 9. 2) III, 26, 3. ed. Dindorf.

3) edit. Dindorf. I. p. 143. 4) c. 7.

5) Constantini Porphyrogeniti excerptorum titulum de sententiis complexo p. 548.

Diodori l. XXIII, 2.

ὅτι Φοίνικες καὶ Ῥωμαῖοι ναυμαχήσαντες, μετὰ δὲ ταῦτα εὐλαβούμενοι τὸ μέγεθος τοῦ προκειμένου πολέμου διεπρεσβεύσαντο πρὸς τὸν ὕπατον περὶ φιλίας. πολλῶν δὲ λόγων ῥηθέντων καὶ τραχυτέροις λόγοις χρωμένων πρὸς ἀλλήλους οἱ Φοίνικες θαυμάζειν ἔφασαν πῶς διαβαίνειν τολμῶσιν εἰς Σικελίαν οἱ Ῥωμαῖοι — φανερὸν γὰρ εἶναι πᾶσιν ὅτι μὴ τηροῦντες τὴν φιλίαν οὐδὲν νίψασθαι τὰς χεῖρας ἐκ τῆς θαλάσσης τολμήσουσιν.

Dionis Cassii fr. 43, 8.

ὅτι ὁ Ἄννων οὔτ᾽ ἄλλως ἐπ᾽ ἐλαφρῷ τὸν πόλεμον ποιούμενος — πρὸς εἰρήνην προυκαλεῖτο —

43, 9: ὅτι ἐπεὶ οὐδὲν ἐδέξατο ἀπειλὴν ὑπέρφρονα καὶ νεμεσητικὴν ἠπείλησεν. ἔφη τε γὰρ μήδ᾽ ἀπονίψασθαι ποτὲ τὰς χεῖρας ἐν τῇ θαλάσσῃ τοῖς Ῥωμαίοις ἐπιτρέψειν.

Polybius seu brevitatis studio seu Romanorum favore commotus et C. Claudii tribuni militum perfidiam et proelium navale omisit, neque commemoravit tentatum esse a Carthaginiensibus ut pacem reconciliarent, sed quamvis Philini narrationem bene noverit, tamen unum Fabium Pictorem secutus est, qui Romanos pios probosque homines esse ostendebat.

De Appio Claudio consule, quem Polybius mira cum audacia fretum Siculum transgressum esse dicit, apud Frontinum [1]) haec legimus: „Appius Claudius consul primo bello Punico, cum a Rhegio Messanam traicere militem nequiret, custodientibus fretum Poenis, sparsit rumorem, quasi bellum iniussu populi inceptum gerere non posset, classemque in Italiam versus se agere simulavit. Digressis deinde Poenis, qui profectioni eius habuerant fidem, circumactas naves adpulit Siciliae.“ Quae narratiuncula, cum nihil nisi Romanorum astutiam efferat, e Livio aut certe Romano quodam scriptore hausta esse videtur; alia autem narratiuncula, quam Zonaras [2]) memoriae mandavit, Carthaginiensium dolum refert, et

1) I, 4, 11.

2) VIII, 9. ὃ μαθὼν ὁ ὕπατος ἤδη πλησιάζων, ὡς εὗρε συχνοὺς αὐτῶν (sc. τῶν Καρχηδονίων) πολλαχῇ κατὰ πρόφασιν ἐμπορίας ἐλλιμενίζοντας ἐξηπάτησε σφᾶς ὅπως ἔλθῃ τὸν πόρθμον ἀσφαλέστατα.

a Dione Cassio, Zonarae fonte, e Philino aut e Diodoro, aut e scriptore desumpta esse videtur, qui Poenorum astutiam ostendere studuit. Narrationem autem, quam Aurelius Victor [1]) de Appii Claudii consulis traiectu in Siciliam commemoravit, nescio quo ex fonte ille hauserit; nam quae de Appio Claudio refert, eum nave piscatoria fretum traiecisse ad explorandos hostes, et quae de Appio cum Carthaginiensibus agente ut Messanam derelinquerent, tradit, non ad Appium Claudium consulem, sed ad tribunum militum C. Claudium pertinent, ut e Dione Cassio [2]) et Zonara [3]) cognoscimus. Atque prorsus ridiculum est, quod Aurelius Victor de ratione dicit, qua Appius Claudius milites Messanam traiecerit.

De proelio inter Romanos et Syracusanos commisso Polybii narratio prorsus recedit ab ea, quam Philinus [4]) et Zonaras tradiderunt. Quae in Diodori reliquiis ea de re traduntur, nimis sunt coartata; atque errasse mihi videtur Casaubonus, qui e verbis: *ὅτι διαπεράσαντος τοῦ ὑπάτου εἰς Μεσσήνην ὁ Ἱέρων νομίζων προδοθῆναι τὴν διάβασιν ὑπὸ Καρχηδονίων ἔφυγεν εἰς Συρακούσας* collegit Hieronem omnino non pugnasse cum Romanis; e Zonarae enim verbis: *καὶ προςπλεύςας* (sc. *ὁ Κλαύδιος*) *οὐ πόῤῥω τοῦ στρατοπέδου τοῦ Ἱέρωνος αὐτίκα συνέμιξε, νομίζων φοβερώτατος αὐτοῖς ἐκ τοῦ ἀθρόου φανήσεσθαι. ἀντεπεξελθόντων δ' αὐτῶν τὸ μὲν τῶν Ῥωμαίων ἱππικὸν ἠλαττώθη, τὸ δ' ὁπλιτικὸν ὑπερέσχε. καὶ ὁ Ἱέρων τότε μὲν εἰς τὰ ὄρη, ἐς δὲ τὰς Συρακούσας ὕστερον ἀπεχώρησεν*, satis elucere mihi videtur, quid Philinus et Diodorus, eum secutus, narraverint. Secundum Polybium Philinus [9]) dixit Hieronem in pugna victoriam de Romanis reportasse, paullo post autem praecipitem abiisse. Polybius, qui Philini narrationem improbavit, totam atque integram eius narrationem rettulisse mihi non videtur, sed locos tantum eos elegisse, quos falsissimos et absurdissimos habuit; Zonaras autem, qui aeque ac Philinus Hieronis victoriam et

---

1) c. XXXVII. 2) fragm. 43, 5 et 30. 3) VIII, 9.
4) cfr. Polyb. 1, 45, 1—3. 5) VIII, 9.
6) XXIII, 3, ed. Dindorf.. 7) in not. ad Polyb. ed. vol. III. p. 146. 8) VIII, 9. 9) cfr. Polyb. I, 15, 1—3.

repentinam fugam commemoravit, optime mihi viam ostendere videtur, qua Philini narrationem restituere possimus. Atque haec quidem a Philino tradita esse puto: Romanorum equites a Syracusanis esse victos, a Romanis Hieronis pedites, tum Hieronem, quod Poeni sibi cum Romanis pugnanti auxilium non tulissent, proditum se esse suspicatum Syracusas fugisse; qua re concessit Hiero Romanis ut omnem victoriae gloriam sibi tribuerent. Philinus fortasse, qui a Romanis erat alienissimo animo, Romanos victos esse dixit, cum eorum equites fugati sint. Ceteri scriptores, qui Livium secuti sunt, Florum [1]), Eutropium [2]), Orosium [3]) dico, Hieronem statim victum esse tradunt, Livius autem ipse, cuius narratio non exstat, Valerium Antiatem adhibuisse videtur, cum Florus et Orosius Syracusanos et Carthaginienses ab Appio Claudio tam celeriter superatos esse dicant, ut Hiero prius se victum esse quam hostes viderit confessus sit. De Poenorum clade secundum Polybium Philinus [4]) narravit: Romanos cum Carthaginiensibus pugnantes non solum victos esse a Carthaginiensibus, sed etiam multos eorum milites esse captos, post pugnam autem Carthaginienses castris relictis per urbes esse dispersos. Philini scripta perierunt, itaque explorari non potest, quae addiderit et qua ratione illa quae apud Polybium legimus, protulerit. — In Diodori reliquiis haec relata legimus [5]), *Καρχηδονίων δὲ πολεμησάντων καὶ ἡττηθέντων τὴν Ἔγεσταν ὁ ὕπατος ἐπολιόρκησε, καὶ στρατιώτας πόλλους ἀποβαλὼν εἰς Μεσσήνην ἀνέζευξεν.* Quo ex fonte haec narratio hausta sit diiudicari nequit, cum nimis coartata sit. Praeterea nomen *Ἔγεσταν* corruptum esse videtur, cum vix credendum sit, ab Appio Claudio hanc urbem esse oppugnatam; fortasse librarius nomen *Ἐχέτλαν*, quod oppidum prope Messanam situm est, male mutavit in Egestae urbis nomen celebrius. Zonaras [6]) narrat Appium Claudium postquam Hiero aufugerit, adortum esse Poenos, qui castra in paeninsula collocaverint. Fauces, per quas solas penetrari poterat in paeninsulam, muro et fossa erant interclusae,

---

1) ed. Jahn. p. 29. 2) II, 13. ed. Hertel. 3) IV, 7.
4) I, 15. 5) XXIII, 3. 6) VIII, 9.

Romani qui Poenorum castra oppugnaverunt, eorum telis occisi sunt, sed cum Appius Claudius exercitum se recipere iussisset, Poeni eum alacriter invadentes fugati sunt, ita ut Poeni quamdiu Claudius consul in Sicilia fuit, e castris prodire non sint ausi. Appius autem Syracusas obsidens saepe infeliciter pugnavit et in angustias reductus captus esset, nisi dolo se ex iis expedivisset: de pace cum Hierone agens paullatim recessit donec in tuto esset. Itaque Appius neque Syracusas expugnare, neque Poenos e castris expellere potuit. Haec Zonarae narratio neque concinit cum iis quae Polybius, neque cum iis quae Philinus tradidit, tamen ex auctore desumpta videtur esse qui a Poenorum parte stetit. Qui fuerit ille scriptor, utrum Zeno, qui, ut e Diogene Laertio comperimus, post bellum Punicum primum *τοῦ Πύῤῥου ἱστορίαν εἰς Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν* et *ἐπιτομὴν τῶν πεπραγμένων Ῥωμαίοις τε καὶ Καρχηδονίοις* conscripsit, an alius scriptor fuerit, cuius nomen non est notum, diiudicari nequit. — Ceteri scriptores Florus [1]), Eutropius [2]), Orosius [3]) celeriter Carthaginienses a Romanis victos esse tradunt, qua ex re recte colligere me puto, Valerio Antiati illam narrationem deberi, praesertim cum in Livii periocha libri XVI immensus censorum hominum numerus commemoretur, qui ut Nissenius [4]) affirmavit, semper Valerii Antiatis commenta prodit.

Romani certiores facti de rebus ab Appio Claudio feliciter in Sicilia gestis M.' Otacilium Crassum M.' Valerium Maximum consules cum IV legionibus in Siciliam miserunt, quibus advenientibus multa Carthaginiensium et Syracusanorum oppida ad Romanos defecerunt. Consules Syracusarum pararunt obsidionem. Hiero autem legatos de pace facienda ad eos misit. Foederis conditiones Polybius [5]) has rettulit: ut Hiero redderet captivos Romanis sine pretio et C talenta insuper penderet. Quo ex fonte haec hauserit Polybius vix indagari potest, cum nimio brevitatis studio omnia coartaverit. Diodorus [6]) Philinum secutus videtur esse, cum et numerum et nomina urbium et rationem qua se Romanis dedis-

---

1) p. 29. ed. Jahn. 2) II, 18. 3) IV. 7.
4) l. l. p. 43. 5) I, 15. 6) XXIII, 4.

sent, accurate tradat et conditiones quibus Hiero cum Romanis foedus inierit, iniquiores commomoret. — In Livii periocha nihil nisi pax cum Hierone inita refertur, Eutropius [1]) autem et Orosius [2]) Hieronem CC talenta dedisse tradunt, quod iterum Valerium Antiatem fontem indicat, qui plerumque numeros auxit. Eutropius fortasse rerum, quae illo anno in Sicilia gestae sunt, multitudine perturbatus pacem cum Hierone factam esse tertio demum belli anno dicit. — Zonaras [3]) denique rerum illo anno gestarum narrationem ita coartavit, ut certum quoddam iudicium de fonte Dionis Cassii, quem semper exscripsit, proferri nequeat. Fortasse autem ea re, quod de belli anno XVII vel XV anno postquam foedus ictum est a Romanis et Syracusanis Zonaras [4]) tradit, illo anno Romanos amicitiae foedus cum Hierone instaurasse, et quod Diodorus [5]) conditionem pacis fuisse dicit ut foedus fiat in XV annos, demonstratur, aut Diodorum aut ipsum Philinum fuisse Dionis Cassii auctorem.

Foedere cum Hierone pacto consules urbes, quae in Sicilia sitae in Poenorum ditione erant, oppugnarunt, nonnullas expugnarunt. Deinde M.' Valerium Maximum de Poenis et de rege Siculorum Hierone triumphasse fasti Capitolini referunt, eique nomen Messalla inditum esse tradunt ob Messanae expugnationem. Seneca [6]) quoque dicit Valerium Corvinum [7]), qui Messanam ceperit, Messanam esse appellatum, quo ex nomine paullatim vulgo permutante litteras Messalla ortum sit. Sed hoc prorsus falsum est, cum Messanam urbem Romani non ceperint, sed Mamertini sua sponte eam iam anno proximo Appio Claudio dederint. Plinius [8]) refert a M.' Valerio Maximo Messala tabulam proelii, quo Poenos et Syracusanos devicerit, in latere curiae Hostiliae propositam esse, sed a nullo scriptore traditum est a M.' Valerio unquam Poenos et Syracusanos coniunctos victos esse; itaque Ihnius [9]) recte mihi iudicasse videtur, qui totam

---

1) II, 18. 2) IV, 7. 3) VIII, 9. 4) VIII, 16.
5) XXIII, 4. 6) de brev. vit. c. XIII.
7) Corvini cognomen Seneca errore captus addidit.
8) nat. hist. XXXV, 7. 9) Röm. Gesch. II, 36.

hanc narratiunculam gentis Valeriae falsamentum esse dixit, quod Valerius Antias annalibus inseruerit. Fasti quidem Capitolini plerumque summi sunt momenti, sed non semper incorrupti sunt. Cognomen Messallae fortasse iam ante bellum Punicum primum Valeriae genti fuit, deinde autem, cum M.' Valerius in Sicilia imperaverit, propter similitudinem nominum Messalla a Messana derivatum est. — Denique Aurelii Victoris error notandus est, qui ab Appio Claudio iam Syracusas in Romanorum ditionem esse redactas refert.

Tertio belli anno Agrigentum a Romanis oppugnatum et expugnatum est. Rem prolixe narrat Polybius [1]); Diodori [2]) narratio de hac expugnatione tota fere desideratur; quae ex illa supersunt, demonstrare mihi videntur, Philinum fuisse Diodori auctorem. Polybius, qui in hanc rem diligentissime inquisivisse videtur, dicit Agrigentum intra VII menses captum esse, Diodorus autem refert per VI tantum menses Agrigentum a Romanis esse obsessum, quae variae narrationes tamen inter se pugnare mihi non videntur. Polybio enim teste consules non statim urbem circumvallarunt, sed agros tantum vastarunt. Deinde cum Poeni intra muros se recepissent, Romani duobus castris a duabus urbis partibus exstructis fossisque et vallis inter se iunctis iustam obsidionem instituerunt; Diodorus cum intra VI menses urbem oppugnatam esse dicat, temporis spatium, quo Romani Agrigentum nondum circumvallatum habuerunt, omisisse videtur. — Dio Cassius, cujus narratio nonnisi in Zonarae annalibus [3]) exstat, hoc loco Livium secutus esse videtur, cum, quamquam e Livii ipsius narratione nihil superest, satis cum Orosio [4]), qui ut supra diximus, Livium unum sequitur, concinat; Livius autem ipse Fabii annalibus usus esse videtur, cum Polybii, Orosii, Zonarae narrationes de nulla re graviore discrepent. Praeterea Frontini [5]) narratio de proelio inter Romanos et Poenos apud Agrigentum commisso prorsus cum eis concinit, quae Zonaras ea de re tradidit, qua re confir-

1) I, 19. 2) XXIII, 8. ed. Dindorf. 3) VIII, 10.
4) IV, 7. 5) II, 1, 4.

mari mihi videtur sententia mea, Zonaram vel Dionem Cassium Livii libris usum esse, cum vix quisquam crediderit Frontinum Fabii annales perscrutatum esse ut sollertia ducum facta expeditis amplectatur commentariis. Omnes scriptores tradunt annis insequentibus in Sicilia feliciter a Romanis pugnatum esse, sed cum anno a. u. c. CCCCXCIII Romani primum sibi magnam classem comparaverint et proximo anno primam victoriam navalem de Carthaginiensibus reportaverint, et Polybius et ceteri Romanorum scriptores rei fama adeo capti esse videntur, ut res quae in Sicilia gestae sint, aut plane omiserint aut leviter tantum attigerint. Itaque praeter Zonarae narrationem vix quicquam de hoc quarto belli anno compertum est, nisi cum Casaubono [1]) obsidionem Mytistrati urbis, quae Diodoro teste [2]) per VII menses a Romanis frustra oppugnata est, in hunc quartum belli annum referamus. Pugna quidem, quae post illam obsidionem commissa in Diodori ecloga narratur, certe facta est anno a. u. c. CCCCXCIIII. Zonaras quarto belli anno a Romanis memoria digni nihil gestum esse dicit, Hamilcarem autem, Poenorum ducem, consulibus Romam reversis urbes aliquot in Sicilia sitas cepisse Italiaeque litora classe infestavisse. Haec narratio e Diodoro desumpta esse videtur, cum strategema, quod Zonaras prolixe enarravit, in Diodori quoque ecloga brevius quidem traditum sit. Zonarae [3]) verba haec sunt: *ὁ δὲ Ἀμίλκας τοὺς Γαλάτας τοὺς μισθοφόρους, ὅτι μὴ ἐντελῆ δέδωκεν αὐτοῖς τὸν μισθὸν ἀγανακτήσαντας φοβηθεὶς μὴ προσχωρήσωσι τοῖς Ῥωμαίοις διέφθειρε, πέμψας αὐτοὺς εἴς τινα τῶν ὑπὸ Ῥωμαίοις πόλιν παραληψομένους αὐτὴν ὡς τάχα προδιδομένην καὶ διαρπάσαι αὐτὴν ἐπιτρέψας· στείλας δὲ πρὸς τοὺς ὑπάτους ψευδαυτομόλους τὴν τῶν Γαλατῶν προμηνύοντας ἔλευσιν· ὅθεν οἱ Γαλάται μὲν πάντες ἐνεδρευθέντες ἐφθάρησαν, πολλοὶ δὲ καὶ τῶν Ῥωμαίων ἀπέθανον.* Quod facinus in Diodori [4]) ecloga his verbis indicari mihi videtur; *ὁ δὲ Ἄννων βουλευσάμενος ἐμφρόνως ἑνὶ στρατηγήματι τοὺς ἐχθροὺς καὶ τοὺς πολεμίους ἀνεῖλεν.* Dubitari

---

1) annotat. ad Polyb. vol. III. p. 180. 2) XXIII, 8, 3.
3) VIII, 10. 4) XXIII, 8, 3.

quidem potest, utrum Hannoni, quem Diodorus, an Hamilcari quem Zonaras appellavit, hoc strategema tribuendum sit, sed cum apud Frontinum [1]) eadem res narretur atque Hannoni tribuatur, Zonaras errasse mihi videtur. Frontini autem verba Dedericus [2]) magis corrupisse mihi videtur quam correxisse: in fine narrationis, quam Frontinus de Hannonis dolo tradit, haec leguntur: „Ab ea Galli excepti dupliciter Hannonis consilio satisfecerunt et Romanos ceciderunt et ipsi omnes interfecti sunt." Haec lectio in omnibus fere libris manuscriptis invenitur, codex Mediceus autem pro „et Romanos" verba „ex Romanis" praebet, quod Dedericus probavit, cum in ceterorum librorum lectione „et Romanos" vocabulum „raros" lateret, itaque haec Frontini esse verba putavit: „et ex Romanis raros ceciderunt et ipsi omnes interfecti sunt." Sin autem Zonarae et Frontini narrationes comparamus, cetera ita consentiunt omnia ut ex uno fonte hausta videantur esse, id est Dio Cassius, Zonarae auctor, sua e Diodoro, Diodorus e Fabio desumpsit, Frontinus Livium, Livius Fabium secutus est. Quae cum ita sint, Dederici coniectura prorsus improbanda est, codicis Medicei lectio fortasse ex altera, quam ceteri codices recte tradiderunt, orta est, cum librarius, qui pro copula „et" praepositionem „ex" legit, doctrina male adhibita formam „Romanos" in „Romanis" mutaverit.

Anno a. u. c. CCCCXCIII, teste Polybio [3]), Romani classem C quinqueremium et XX triremium sibi compararunt, eique consulem C. Duellium praefecerunt. Polybius his in rebus enarrandis Fabium secutus videtur esse, cum nimis celebret Romanorum audaciam, qui tum primum naves aedificare inceperunt. Qua de re iam multa a multis disputata sunt, ita ut Polybii opinionem refellere omittam. Constat Romanos iam ante bellum Punicum primum classem habuisse multo quidem inferiorem Punica classe, tamen omnes scriptores hanc classem, quae anno a. u. c. CCCCXCIII aedificata est, tamquam miraculum celebraverunt. Florus [4]), Plinius [5]), Orosius [6]) Livium videntur esse secuti, cum omnes

1) III, 16, 3. 2) cfr. praefat. Dederici ad ed. p. XIV.
3) I, 20. 4) p. 29. ed. Jahn 5) nat. hist. XIII, 39.
6) IV, 7.

eisdem fere verbis usi sint; Livius autem Valerium Antiatem adhibuit, qui Fabii iactantiam, quam e Polybio cognoscimus, superare studuit, cum intra sexaginta dies et arbores excisas et naves centum et viginti aedificatas esse dixerit.

Cn. Cornelius Scipio consul cum XVII navibus Messanam petiit, ut quae necessaria essent classi atque exercitui celeriter providerentur. Inde, teste Polybio [1]), *προςπεσούσης αὐτῷ πράξεως περὶ τῆς τῶν Λιπαραίων πόλεως* Liparam navibus contendit, ubi a Boode quem Carthaginiensium dux, Hannibal, cum XX navibus miserat, circumventus est. Socii navales ceterique Romani e navibus in terram fugerunt, Cneius autem Scipio, ut Polybius dicit: *ἐκπαγλὴς γενόμενος καὶ ποιεῖν ἔχων οὐδὲν* hostibus se dedit. Carthaginienses navibus et duce Romanorum potiti confestim Panormum redierunt. Polybius ipsam causam, cur Scipio Liparam navigaverit, non attulit, ceteri scriptores omnes totam rem Carthaginiensium dolo et perfidia effectam esse affirmant. Polyaenus [2]) et Zonaras [3]) tradunt, Carthaginienses Cornelio Scipioni per transfugas spem indidisse, fore ut urbem et insulam Liparam proditione capiat, qui cum Liparam venisset a Boode insidias parante ei circumventus sit; Boodem, cum Cornelius Scipio defensionem paraverit, timentem Romanorum desperationem, eum ad pacem faciendam provocasse et persuasisse ei et tribunis militum ut Carthaginiensium nave conscensa cum Hannibale de pacis conditionibus agerent; quo facto captos Romanos Carthaginem missos esse. Polyaeni et Zonarae narrationes ita consentiunt ut ex eodem fonte haustae esse videantur, vel ut accuratius loquar: Polyaenus et Dio Cassius Diodorum secuti sunt, Dionis Cassii libros Zonaras exscripsit. Diodorus autem Fabium, Polybius Philinum inspexisse videtur, in Polyaeni et Zonarae libris Poenorum perfidia et ignavia [4]) efferuntur, apud Polybium Carthaginiensium dolus non commemoratur, sed Scipionis pavor et ignavia vituperantur. Livius [5]) atque qui illum secuti sunt, Florus [6]),

---

1) I. 21. 2) VI, 16, 5. 3) VIII, 10.

4) Zon. VIII, 10: *δείσας ἐκεῖνος* (sc. *Βοώδης*) *τὴν ἀπόνοιαν αὐτῶν* (sc. *τῶν Ῥωμαίων*). 5) perioch. l. XVII. 6) p. 29. ed. Jahn.

Eutropius[1]), Orosius[2]) Livio duce Fabium consuluisse videntur, cum in his quoque libris Poenorum perfidia nimis elata sit. Orosius quidem non a Boode sed ab ipso Hannibale captum esse Scipionem dicit, sed haec differentia facile explicatur, cum Boodes simulasse dicatur, Hannibalem ipsum expeditioni praeesse. Orosius denique ex more suo rem ampliavit, cum Scipionem in vinculis necatum esse dicat, quod prorsus falsum est, cum Scipio postea iterum consul factus sit. Appianus[3]) quoque hanc rem commemoravit, sed iusto brevius, praeterea M. Cornelium perperam nominat consulem, cum Cneius Cornelius fuerit.

De Cn. Cornelii Scipionis cognomine Asina nescio an Niebuhrius[4]) recte coniecerit, tum primum hoc cognomen genti Corneliae esse inditum, cum Macrobius[5]) affirmet iam antea fuisse Corneliis cognomen Asinae.

Cornelio a Poenis capto alter consul C. Duellius cum tota classe evectus Carthaginienses apud Mylaeum promontorium vicit. His in rebus narrandis Polybium[6]) Fabii annales secutum esse ipsa eius verba *Καρχηδόνιοι — καταφρονοῦντες τῆς ἀπειρίας τῶν Ῥωμαίων πάντες ἔπλεον ἀντίπρῳροι τοῖς πολεμίοις οὐδὲ τάξεως καταξιώσαντες τὸν κίνδυνον ἀλλ᾽ ὡς ἐπὶ λείαν τινὰ πρόδηλον* demonstrare mihi videntur, cum Zonaras[7]), Dione Cassio duce, aut Diodorum, cuius narratio non exstat, aut ipsum Philinum secutus sit, qui dixit: *συντόνῳ χρωμένους εἰρεσίᾳ* impetum fecisse Carthaginienses in Romanos. Praeterea Eutropius[8]) et Orosius[9]) eadem referunt atque Polybius, qua re confirmari mihi videtur, Polybium et Livium, qui nunquam Philinum adhibuit, Fabium secutos esse. Polybius quidem, qui aeque atque Eutropius et Orosius XXXI naves a Romanis captas esse rettulit, postea cum navium captarum et mersarum numerum L fuisse dixerit, nimio brevitatis studio plenam summam, non accuratum navium captarum et demersarum numerum, quem Eutropius et Orosius referre mihi videntur, attulit. Denique

---

1) II, 20. 2) IV, 7. 3) Pun. VIII, 4, 3.
4) Röm. Gesch. III. 677. 5) sat. 1, 6. 6) I, 23, 3.
7) VIII, 11. 8) II, 20. 9) IV, 7.

prorsus consentiunt apud Polybium, Eutropium, Orosium hominum captorum et occisorum numeri.

Unus Polybius [1]) narratiunculam tradit, paucis diebus post quam Cornelius a Carthaginiensibus captus sit, a Romanis nonnullas Carthaginiensium naves captas esse, quibus cum Hannibal ad explorandum hostem evectus sit; quae narratio ex eodem Fabio desumpta esse videtur. Aliam narratiunculam de Hannibale, qui post cladem per amicos, quasi res integrae essent, a Carthaginiensium senatu percontatus est, utrum navali proelio decertari iuberet necne, assentientibus omnibus senatoribus confessus est, se conflixisse cum Romanis et victum esse; Diodorus [2]), Dio Cassius [3]), Zonaras [4]), Valerius Maximus [5]), Aurelius Victor [6]) memoriae tradiderunt atque eisdem fere verbis, ita ut omnes ex uno fonte, Fabio Pictore, hausisse videantur, ita quidem ut Diodorum et Livium ipsis Fabii annalibus usos esse putemus, a Valerio Maximo et Aurelio Victore sua certe e Livio, a Dione Cassio, Zonarae duce, aut e Livio aut e Diodoro sua desumpta esse. Diodorus enim omnium illorum scriptorum auctor fuisse non potest, cum neque unquam Valerius Maximus neque Aurelius Victor Diodori libros inspexerit. — Zonaras et Aurelius Victor nimio brevitatis studio Hannibalem ipsum Carthaginem profectum esse rogaturum a senatu, utrum proelium navale committi iuberet necne dicunt.

Res quae ante pugnam navalem ab Hannibale in Sicilia prospere gestae sunt, ex uno Zonara cognoscimus, quam ob rem fons eius indagari nequit. Quae de C. Duellii post victoriam navalem in Sicilia rebus gestis tradit Polybius [7]) e Fabio desumpta esse videntur, cum ipse referat Hannibalem de improviso Romanorum castra invadentem IV milia Romanorum occidisse; Diodorus [8]), qui Philinum secutus esse videtur, novem milia caesa esse tradit. Frontinus [9]) denique de C. Duellio consule tradit, eum, cum temere portum Segestanum intraverit, atque obiecta ad ingressum catena clau-

---

1) I, 21. 2) XXIII, 10. 3) fr. 43, 12. ed. Dindorf.
4) VIII, 11. 5) VII, 3 ext. 7. 6) cf. XXXVIII.
7) I, 24. 8) XXIII, 9, 4. 9) I, 5, 6.

sus sit, dolo e periculo evasisse; quae narratio, cum a nullo alio scriptore tradita sit, unde hausta sit, certis argumentis confirmari non potest.

C. Duellius, postquam Segestam urbem ab obsidione Poenorum liberavit et Macellam oppidum expugnavit, Romam rediit, ubi Livio [1]) teste, quem Valerius Maximus [2]), Florus [3]), Aurelius Victor [4]) secuti sunt, triumphus perpetuus ei decretus est. Columna denique rostrata in Duellii honorem in foro posita est, quam C. Plinius [5]) se vidisse dicit. Sed inter homines doctos nunc constat [6]), indicem, quae nunc exstat de C. Duellii victoria navali, Claudio imperante in columnae basi esse incisam, antea aut nullam aut brevissimam columnae fuisse inscriptam.

Romani Duellii victoria elati confestim de Sardinia et Corsica occupanda inceperunt cogitare, quam ob rem sexto belli anno consulem L. Cornelium Scipionem cum classe eo miserunt. Mirum est, quod Polybius hanc expeditionem non commemoravit, quae a ceteris rerum scriptoribus prolixe narrata est. In Livii periocha libri XVII legimus, L. Cornelium consulem in Sicilia et Corsica contra Sardos et Corsos et Hannonem, Poenorum ducem, feliciter pugnasse; Eutropius [7]) Livii narrationem in maius extulisse videtur, cum tradat a Cornelio insulas illas vastatas esse et multa milia hominum capta; Florus [8]) temporum ratione non habita post Calatini consulatum a Scipione urbes Olbiam et Aleriam deletas esse narrat. Frontinus [9]) duobus locis refert copiarum partem, quam Scipio in insidiis locaverit, cum consul hostes per speciem fugae longe ab urbibus avocaverit, urbes relictas oppressisse et diripuisse. E Zonara [10]) comperimus, Cornelium primum Corsicam aggressum Aleriam urbem expugnasse, et totam insulam subegisse; deinde in Sardiniam naviganti consuli naves aliquot Carthaginiensium obvenientes, antequam

---

1) cfr. perioch. l. XVII. 2) III, 6, 4. 3) p. 30. ed. Jahn.
4) c. XXXVIII. 5) nat. hist. XXXIV. 20.
6) cfr. Ritschl de inscriptione quae fertur columnae rostratae Duellianae. Berol. 1852. Bonnae 1861. Mommsen c. i. l. I. p. 40. id. Unterital. Dialecte. p. 28. 7) II, 20. 8) p. 30. ed. Jahn.
9) III, 9, 4 et 10, 2. 10) VIII, 11.

manus conseri potuerint, discessisse; tum Cornelium Olbiam adortum esse, sed cum Carthaginienses advecti sint, ipsum metu perculsum abiisse. Huius narrationis auctor Philinus fuisse videtur, cum Romani scriptores, quorum narrationes in Valerio Antiate innituntur, etiam Olbiam a Cornelio expugnatam esse tradant. Livius mihi hoc loco Valerium Antiatem secutus esse videtur, quia Polybius de Cornelii expeditione prorsus silet, quam sine gravi Scipionum-offensione, quibuscum amicitia iunctus erat, omittere non potuit, si Scipio in Corsica et Sardinia tam magnas atque gloriosas res gesserit. Sed Ihnius [1]) iam recte commonefecit, inscriptionem, quae in L. Cornelii Scipionis sepulcro incisa nobis servata est, de Scipionis expeditione in Sardiniam nihil referre, itaque in fastis Capitolinis, in quibus L. Cornelii triumphus de Sardis commemoratur, tempore quo gens Cornelia summo honore fuerit, illum triumphum furtim esse additum. — E Zonara [2]) denique cognoscimus in Sicilia C. Florum hibernasse, Hamilcarem autem totam fere insulam in ditionem suam redegisse, quae narratio certe Philino debetur, cum Polybius [3]) Fabium secutus nihil memoria dignum in Sicilia gestum esse dicat.

A. Atilio Calatino C. Sulpicio Paterculo consulibus et in Sicilia et in Sardinia pugnatum est. Polybius res leviter tantum attingit et ambos consules in Siciliam iisse dicit, ceteri vero scriptores A. Atilium in Sicilia, C. Sulpicium in Sardinia bellum gessisse tradunt. Polybius [4]) et Diodorus [5]) Philinum secuti esse videntur, cum res in Sicilia gestas accuratissime tradant; praeterea Diodorus Hieronis, Syracusanorum regis, merita de Romanis effert, Romani autem scriptores sociorum virtutes semper silentio praetereunt. Zonarae [6]) auctor Dio Cassius Livium secutus esse videtur, cum ipse ac Livius prodigia, quae tunc primum Livius in annalibus commemorata invenit [7]), Romae et tota Italia visa esse dicant. Narrationem quoque de Calpurnii Flammae facinore

---

1) Röm. Gesch. II. p. 22. 2) VIII, 11. 3) I, 24.
4) I, 25. 5) XXIII, 25. 6) VIII, 12.
7) cfr. Bernays in mus. Rhenan. XII, 436.

Livio debere videtur Zonaras, cum iisdem fere verbis a Floro [1]), Orosio [2]), Aurelio Victore [3]) tradita sit. De nomine eius tribuni multum vestutiores auctores dissentiunt, Gellius [4]) enim dicit a Catone eum A. Caedicitium, a Q. Claudio Quadrigario Laberium esse nominatum, itaque Livius neque Catonem neque Claudium inspexisse videtur. Plinius [5]) dicit Calpurnio Flammae tribuno militum in Sicilia coronae gramineae contigisse honorem; in auctorum indice libri XXI — in libro XXII se eisdem auctoribus usum esse dicit atque in priore libro — Catonem et Valerium Antiatem appellat, Cato autem tribunum militum Q. Caedicitium nominavit, atque parvam laudem ei pro factis relictam esse dixit [6]), itaque recte me colligere puto, Valerium Antiatem non solum Plinii sed etiam Livii fuisse auctorem. Etiam in Frontini strategematicon libro primo [7]) et in quarto libro [8]), quem anonymus quidam addidit, eadem narratio de tribuno illo militum traditur, sed tria illa nomina, quibus tribunus a Catone, a Claudio, a Valerio Antiate nominatus est, coniuncta invenimus, quae utrum ex uno Livio cognoverit, an ex alio fonte nobis deperdito hauserit, diiudicari non potest.

Quae Polybius de rebus anno a. u. c. CCCCXCVII gestis tradit, e Philino desumpta esse videntur; Polybius [9]) enim refert C. Atilium Tyndaridem appulisse naves, deinde Carthaginiensium classem praevectam X navibus adortum esse, sed circumventum a Carthaginiensibus omnes naves amisisse praeter unam in qua ipse fuerit; tum reliqua Romanorum classe advecta, Poenos X navibus demersis Liparam abiisse. Apud Zonaram [10]) autem legimus Romanos in Siciliam profectos Liparam adortos esse, deinde Poenis apud promontorium Tyndaritanum insidias parantibus magnam cladem intulisse. Orosius [11]) denique tradit Hannibalem cum Romanis navali proelio congressum et victum ab exercitu suo necatum esse, a Romanis autem Liparam Melitamque insulas vastatas esse. — Hae narrationes prorsus contrariae sunt inter se. Polybius

[1]) p. 30. ed. Jahn. [2]) IV, 8. [3]) c. XXXIX. [4]) III, 7.
[5]) nat. hist. XXII, 6. [6]) Gell. III, 7, 19. [7]) I, 5, 15.
[8]) IV, 5, 10. [9]) I, 25. [10]) VIII, 12. [11]) IV, 8.

Carthaginienses, Orosius Romanos post proelium navale Liparam appulisse naves referunt, Polybius Romanos Tyndaridem fuisse et Poenos praevectos esse dicit, Zonaras Carthaginienses apud Tyndaritanum promontorium Romanis insidias parasse atque a Romanis deceptos esse tradit; itaque Polybius Philinum, Dio Cassius, Zonarae auctor, fortasse Diodorum, qui Fabium consuluit, Orosius Livium, qui sua ex Valerio Antiate hausit, secuti esse videntur.

Anno insequenti consules ambo cum classe CCCXXX navium longarum contra CCCL Poenorum naves feliciter pugnaverunt, quam pugnam Polybius [1]) descripsit, Fabii et Philini narrationes contaminans; vix enim credendum est a Fabio pugnam navalem tam accurate et ab omni parte perspicue narratam esse, quoniam Romani nunquam res maritimas prorsus perspectas habuerunt; unum Philinum autem ab eo adhibitum non esse inde apparet, quod cum Eutropio [2]) et Orosio [3]) de navium a Romanis et a Poenis amissarum numero satis consentiat. Polybius quidem XXIV, Eutropius XXII naves Romanorum demersas esse dicit, sed haec differentia librariorum incuria orta esse videtur. Itaque Livius Fabii annalibus, Polybius Fabii et Philini libris usus esse videtur.

De prima Romanorum expeditione in Africam omnes scriptores alta voce disseruerunt, atque Diodori eclogarius [4]), Livii epitomator [5]), Florus [6]), Aurelius Victor [7]) Reguli fama adeo sunt commoti ut hoc uno imperatore Romanos Africam adiisse tradant, Polybius autem et Dio Cassius [8]) et Eutropius [9]) et Orosius [10]) et Zonaras [11]) confirmant, ambos consules in Africam profectos esse. His in rebus enarrandis Dio Cassius Livium secutus est, cum duas narrationes, quas Valerius Maximus e Livii libris narravit, eisdem fere verbis commemorat. Quam meam sententiam ut veram atque rectam demonstrem, ipsa Dionis Cassii et qui eum exscripsit, Zonarae et Valerii Maximi verba attuli:

---

1) I, 25—29. 2) II, 21. 3) IV, 8. 4) XXIII, 12. 15. 16. ed. Dindorf. 5) l. XVII perioch. 6) p. 30 ed. Jahn. 7) c. XL. 8) fr. 43, 20 ed. Dindorf. 9) II. 21. 10) IV, 8 11) VIII, 12.

Dio Cassius frg. 43, 21.
ὅτι Ἄννωνα πρὸς Ῥωμαίους λόγῳ μὲν ὑπὲρ εἰρήνης, ἔργῳ δὲ τριβῆς ἕνεκα ἔπεμψεν Ἀμίλκας· καὶ ὃς ἐπιβοώντων τινῶν συλλαβεῖν αὐτὸν, ὅτι Καρχηδόνιοι τὸν Κορνήλιον ἀπάτῃ —
desunt reliqua verba codici.

Zonaras VIII, 12.
Ἀμίλκας δὲ ἀντιστῆναι αὐτοῖς οὐκέτι ἐτόλμα, Ἄννωνα δὲ πρὸς αὐτοὺς ἔπεμψεν ὡς ὑπὲρ εἰρήνης, βουλόμενος δὲ τὸν καιρὸν τρίβειν — Ἄννων δὲ, βοώντων τινῶν συλλαβεῖν αὐτὸν ὅτι καὶ Καρχηδόνιοι ἀπάτῃ συνέλαβον τὸν Κορνήλιον, ἂν τοῦτο ποιήσητε, εἶπεν, οὐδὲν ἔτι κρείττους τῶν Λιβύων ἔσεσθε. ἐκεῖνος μὲν οὖν εὐκαιρότατα θωπεύσας αὐτοὺς οὐδὲν ἔπαθεν. —

Valerius Maximus VI, 6, 2.
Ingenti Poenorum classe circa Siciliam devicta, duces eius fractis animis consilia petendae pacis agitabant; quorum Hamilcar se ire ad consules negabat audere, ne eodem modo catenae sibi inicerentur, quo ab ipsis Cornelio Asinae consuli fuerant iniectae. Hanno autem, certior Romani animi aestimator, nihil tale timendum ratus, maxima cum fiducia ad colloquium eorum tetendit. Apud quos cum de fine belli ageret et tribunus militum ei dixisset posse illi merito evenire quod Cornelio accidisset, uterque consul tribuno tacere iusso: isto te, inquit, metu, Hanno, fides civitatis nostrae liberat. —

Livius fortasse et Hannonis et consulum Romanorum verba commemoravit, Valerius autem Maximus, qui fidei Romanae exemplum afferre voluit, consulum, Dio Cassius qui Carthaginiensium astutiam efferre voluit, Hannonis verba selegit. Alter locus invenitur in

Dionis Cassii fr. 43, 20.
ὁ Ῥήγουλος ἐν τοσαύτῃ πενίᾳ ἦν ὥστε μήτε τὴν ἀρχὴν ῥᾳδίως ἐθελῆσαι δι' αὐτὴν ὑποστῆναι, καὶ τῇ γυναικὶ τοῖς τε παισὶν αὐτοῦ τὴν τροφὴν ἐκ τοῦ δημοσίου δίδοσθαι ψηφισθῆναι.

Valerii Maximi IV, 4, 6.
— Atilius Regulus — consulibus scripsit — petere ut sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset unde uxor ac liberi sui alerentur. Quae postquam senatus a consulibus accepit et agrum Atilii ilico colendum locari et alimenta coniugi eius ac liberis praeberi — iussit.

Has narrationes ex uno fonte esse haustas satis constare mihi videtur; Livium autem illum auctorem fuisse, non solum ea re confirmatur, quod Valerius Maximus eum plerumque secutus est, sed etiam quod apud Frontinum [1]) in quarto qui dicitur strategematon libro, quem anonymus quidam e Livianis potissimum verbis composuit, et apud Aurelium Victorem [2]) eisdem fere verbis legitur altera narratio. E Livio denique hausta esse videntur, quae Appianus [3]) de Romanorum victoria navali tradit; dicit quidem Appianus Romanos cum classe CCCL navium profectos esse, — Orosius CCCXXX tantum Romanorum naves commemorat — sed hic error facile aut Appiani aut librarii levitate oriri potuit, cum Poenorum classis CCCL navium fuisse dicatur; consentit Appianus cum Aurelio Victore, qui CC oppida in Africa sita a Romanis esse capta tradit; Florus [4]) et Orosius [5]) CCC castella a Romanis capta esse dicunt, qua re iterum apparere videtur, ab Orosio et Floro saepe numeros ampliatos esse. Consules in Africa escensione facta primum Clupeam vel Aspida obsederunt et expugnarunt, deinde agros Poenorum vastarunt, multa oppida occuparunt, magnam captivorum multitudinem et praedas maximas conduxerunt. Interea senatus per legatos decrevit, ut alter consulum Romam rediret, alter cum exercitus parte in Africa maneret. Itaque Manlius cum magna praeda et permultis captivis hieme Romam profectus est; Regulus castris motis Poenorum oppida diripuit et obsedit. His de rebus omnes consentiunt scriptores, de reliquis Reguli facinoribus Polybius tacet, ceteri scriptores multa disputaverunt. In Livii periocha [6]), apud Valerium Maximum [7]), Senecam [8]), Silium Italicum [9]), Plinium [10]), Florum [11]), Dionem Cassium [12]), Orosium [13]), Zonaram [14]) legimus, a Regulo ad flumen Bagradam immensae magnitudinis serpentem, cum telis perforari non potuerit, balistis tormentisque interfectum esse. Haec narratio aut formidine militum, cuius exemplum Florus [15]) affert, aut iactatione eorum orta utrum a Livio,

---

1) IV, 3, 3. 2) c. XL. 3) Pun. VIII, 3. 4) p. 30. ed. Jahn. 5) IV, 8. 6) l. XVIII. 7) I, 8, 19. 8) epist. III, 11, 24. 9) de bello pun. VII, 140. 10) nat. hist. VIII. 37. 11) p. 30 ed. Jahn. 12) fr. 42, 20. 13) IV, 8. 14) VIII, 13. 15) p. 30.

quem ceteri omnes secuti esse videntur, e Naevii [1]) carmine de bello Punico, an e Fabio Pictore, an e Tuberone [2]) hausta sit diiudicari nequit. Tubero, Valerius Maximus, Plinius, Dio Cassius, Zonaras serpentis corium longum pedes CXX Romam missum dicunt, ubi ut Plinius et Julius Obsequens [3]), qui certe sua e Livio desumpserunt, affirmant usque ad bellum Numantinum in publico positum fuit; atque haec fortasse confirmant Livium non Fabii sed Tuberonis libris usum esse, cum Fabius diu ante bellum Numantinum mortuus sit.

Carthaginienses creaverunt, Polybio teste [4]), belli duces Hasdrubalem et Bostarem atque Hamilcarem e Sicilia arcessiverunt, tamen Regulus Poenorum exercitus ubique fugavit. Poeni ex agris Carthaginem confugerunt, Numidae ad Romanos defecerunt, tum Regulus timens ne successor sibi mitteretur, qui suarum victoriarum fructus perciperet, ipse Carthaginiensibus pacem obtulit, sed cum nimis duras conditiones proposuerit, eam non impetravit. Hanc narrationem Polybius e Fabio hausisse videtur, cum etiam apud Eutropium [5]), Orosium [6]), Diodorum [7]), Zonaram [8]) Reguli superbia commemoretur; a Diodoro Philinum non esse adhibitum ipsius verba demonstrare mihi videntur, cum certe Philinus non scripsisset Regulum *τῆς πατρίδος ἔθος ἐν τούτοις* non esse secutum.

Poeni quorum animi quidem metu erant perculsi, res tamen non prorsus afflictae, ignominiosam pacem forti animo reiecerunt et copias e Gallia et Hispania et Graecia conduxerunt duce Xanthippo, de quò inter veteres recentioresque scriptores maxima exstitit dissensio. Orosius [9]) eum Lacedaemoniorum regem, Aurelius Victor [10]) eum militem mercenarium, Livius [11]), Eutropius [12]), Florus [13]) eum ducem Lacedaemoniorum, Polybius [14]), Diodorus [15]), Dio Cassius [16]) eum civem fuisse Spartanum dicunt, Niebuhrius [17]) eum *νεο-*

---

[1]) cfr. Niebuhr Röm. Gesch. III, 691 et Vorles. über röm. Gesch. ed. Isler II, 21. [2]) cfr. Gell. VII (VI), 3. [3]) in prodigiorum libro c. 29. [4]) I, 30 et 31. [5]) II, 21. [6]) IV, 9. [7]) XXIII, 13. [8]) VIII, 13. [9]) IV, 9. [10]) c. XL. [11]) perioch. l. XVIII. [12]) II. 21. [13]) p. 31 ed. Jahn. [14]) I, 32. [15]) XXIII. 14. [16]) fr. 43, 24 ed. Dindorf. [17]) Vorles. üb. röm. Gesch. ed. Isler II, 22.

δαμάδη fuisse affirmat, sed mihi nihil nisi eum cum Lacedaemoniis Carthaginem venisse constare videtur.

Polybius et Livius in proelio, quo Regulus a Xanthippo victus et captus est, enarrando Fabium secuti esse videntur, cum numeri eorum, qui e Romanis aut capti sunt aut effugerunt, apud Polybium [1]), Eutropium [2]), Orosium [3]) prorsus consentiant. Appianus [4]), qui eadem affert, hoc quoque loco Livium secutus esse videtur. Etiam Dio Cassius e Livio sua hausit, cum Zonarae [5]) et Frontini [6]) narrationes de Xanthippo, qui sola loci commutatione fortunam Punici belli convertisse dicitur, satis concinant. E Fabio autem haec a Livio esse desumpta, Polybii verba [7]) confirmant, qui Xanthippum facit dicentem: *χρησάμενοι τοῖς ἐπιπέδοις τῶν τόπων ἔν τε ταῖς πορείαις καὶ στρατοπεδείαις καὶ παρατάξεσιν εὐχερῶς ἑαυτοῖς τε τὴν ἀσφάλειαν δυνήσονται παρασκευάζειν καὶ τοὺς ὑπεναντίους νικᾶν.*

Xanthippus, postquam Regulum cepit et Poenorum animos redintegravit, rerum instabilium mutationem metuens in Graeciam rediit, ut Polybius [8]) et Orosius [9]) narrant; Diodorus [10]) contra et Valerius Maximus [11]) et Appianus [12]) et Zonaras [13]) eum a Carthaginiensibus clam necatum esse tradunt. Hae narrationes, quamquam prorsus inter se contrariae sunt, tamen ex uno fonte haustae esse mihi videntur, nam quae Diodorus, Valerius Maximus ceteri referunt, certe e Philino desumpta non sunt, qui a Poenorum parte stetit, et quae Polybius et Orosius memoriae mandarunt, e Philino non sunt hausta, cum Livius, Orosii auctor, nunquam Philinum inspexerit; itaque ambas narrationes Fabius rettulit; quae mea sententia Polybii verbis confirmatur, qui postquam dixit Xanthippum in Graeciam rediisse addit: *λέγεται δὲ καὶ ἕτερος ὑπὲρ τῆς ἀπαλλαγῆς τῆς Ξανθίππου λόγος, ὃν πειρασόμεθα διασαφεῖν οἰκειότερον λαβόντες τοῦ παρόντος καιρόν* [14]). In Polybii reliquiis quidem nihil de ea re invenitur. —

---

1) I, 32. 2) II, 21. 3) IV, 9. 4) Pun. VIII, 3.
5) VIII, 13. 6) II, 2, 11. 7) I, 32, 4. 8) I, 36. 9) IV, 9.
10) XXIII, 16. 11) IX, 6, ext. 1. 12) Pun. VIII, 4.
13) VIII, 13. 14) I, 36, 4.

Nuntio de Reguli clade Romam allato Romani classem ornarunt eique Servium Fulvium, M. Aemilium consules praefecerunt, qui Carthaginienses vicerunt. Quarum rerum narrationem Polybius et Livius e Fabio desumpsisse videntur, cum Polybii [1]) et Eutropii [2]) et Orosii [3]) verba satis concinant. Polybius quidem dicit CCCL naves a Romanis esse ornatas, CXIV Poenorum naves captas, Eutropius CCC a Romanis esse aedificatas, CIV Punicas naves captas, tamen numerorum differentia librariorum tantum incuria orta esse videtur. Romani scriptoris iactationem Polybii [4]) verba produnt: *τούτους* (sc. *τοὺς Καρχηδονίους*) *ἐξ ἐφόδου καὶ ῥᾳδίως τρεψάμενοι* (sc. *οἱ Ῥωμαῖοι*) *ἔλαβον αὐτάνδρους ἑκατὸν δεκατέτταρας*, neque assentiri possum Niebuhrio [5]), qui vocabulum *ἑκατὸν* eiiciendum putavit, cum Eutropius et Orosius centum amplius naves Punicas captas esse dicant. Niebuhrius fortasse hoc e Diodori [6]) verbis collegit; at haec non incuriam librariorum ostendunt, sed demonstrant, Diodorum sua e Philino hausisse, qui Carthaginiensium clades minuere solet. — Fortasse Philino et Diodoro debentur, quae de Romanis in Africam navigantibus in Zonarae [7]) annalibus leguntur scripta, cum non solum mala, quibus Romani affecti sunt, sed etiam omnia ita sint comparata, ut Carthaginienses non virtute sed dolo Romanorum victi esse videantur.

Romani Poenorum classe fugata ad Africam naves appulerunt, Poenos qui apud Clupeam iis occurrerunt, vicerunt, ut Orosius [8]) et Zonaras [9]), Livium secuti tradunt. Polybius de hoc proelio prorsus tacet, atque Romanos statim cum iis, qui e Reguli exercitu Clupeam confugerant, in Siciliam rediisse dicit.

De naufragio quod Romani ex Africa in Siciliam redeuntes passi sunt, et Philini et Fabii narrationes nobis servatae sunt, Livius enim et Polybius Fabium secuti sunt, cum Polybii [10]), Eutropii [11]), Orosii [12]) verba satis concinant, Dio-

---

1) I, 36, 5 seq. 2) II, 22. 3) IV, 9. 4) I, 36, 11.
5) Vorles. über Röm. Gesch. ed. Isler. II. p. 24. 6) XXIII, 18.
7) VIII, 14. 8) IV, 9. 9) VIII, 14. 10) I, 37.
11) II, 22. 12) IV, 9.

dorus [1]) autem, Philinum secutus, Romanorum navium fractarum numerum nimis exaggeravit.

De rebus quae hoc anno in Sicilia gestae sunt, unus Diodorus [2]) egit, atque Philinum inspexisse videtur, cum nihil nisi res a Carthaginiensibus prospere gestas commemoret.

Res anno quingentesimo a. u. c. in Sicilia gestas idem Diodorus [3]), Philinum secutus, et Zonaras [4]) accuratissime tradunt, Polybius [5]) eas breviter tantum attingit, itaque diiudicari nequit, quo ex fonte sua hauserit; omisit enim Polybius, quae Diodorus tradidit, Panormum esse expugnatum, multas naves praeda onustas Romam e Sicilia redeuntes a Carthaginiensibus esse captas; sed cum consentiat cum Orosio [6]), qui Hamilcarem crudeliter in Numidas saevisse dicit, quod Regulum libentius suscepissent, et a Polybio et a Livio Fabium adhibitum esse puto.

Proximo anno Romani, ut Polybius [7]) tradit, Africae oras infestarunt, ut Diodorus [8]) affirmat, Poeni non passi sunt Romanos Africam adire, ut Eutropius [9]) et Orosius [10]) narrant, Romani aliquot urbes in Africa sitas ceperunt et ingentem praedam reduxerunt. His narrationibus comparatis satis constare mihi videtur, Diodorum Philini, Polybium Fabii, Livium, quem Eutropius et Orosius secuti sunt, aut Fabii aut Valerii Antiatis libris usum esse.

Etiam de tertio decimo belli anno auctores pauca tantum memoriae mandarunt; in Zonarae libro [11]) consulum nomina corrupta sunt, cum ex fastis Capitolinis constet non Publium Gaium Aurelium Servilium sed Publium Servilium Gaium Aurelium eo anno consules fuisse. Etiam Polybius non satis accurate de rebus, quae anno a. u. c. DI gestae sunt, disputavit, sed res, quae anno a. u. c. DI et DII actae sunt, complexus dicit [12]) cum fama percrebuisset ab elephantis Romanorum acies esse dissipatas, Romanorum milites cum Poenis, qui in Siciliam quoque elephantos transporta-

---

[1]) XXIII, 18. [2]) l. l. [3]) l. l. [4]) VIII, 14. cfr. Dionis Cass. fr. 43, 39. [5]) I, 38. [6]) IV, 9. [7]) I, 39. [8]) XXIII, 19. [9]) II, 23. [10]) IV, 9. [11]) VIII, 14. [12]) I, 34, 1—14.

vissent, proelium inire non esse ausos, sed in montes se recepisse, tamen Thermas urbem et Liparam a Romanis esse expugnatas. E Diodoro [1]) autem cognoscimus, Thermas anno a. u. c. DII in Romanorum ditionem esse redactas; amborum autem scriptorum narrationes ita consentiunt, ut ex eodem fonte haustae esse videantur; Polybius Romanorum metum vel ignaviam, Diodorus eorum avaritiam effert, qua cum Thermas iam occupavissent, irrita facta sit expugnatio. Ambo scriptores affirmant, praeter Thermas in Sicilia nullam urbem a Romanis esse expugnatam; Zonaras [2]) contra praeter Himeram multas alias urbes esse occupatas a Romanis dicit, qua re confirmari mihi videtur, Polybium et Diodorum Philino usos esse, Zonarae narrationem in Fabio inniti, id est a Livio Fabium, a Dione Cassio Livium, a Zonara Dionem Cassium esse adhibitum. Fortasse etiam ea res, quod Thermae urbs, quae, Himera anno a. u. c. CCCXLVI ab Hannibale diruta, a Carthaginiensibus eodem loco erat condita, a Romanis semper Himera est nominata [3]), sententiam meam confirmat, Zonarae narrationem in Romano scriptore niti. Praeterea Zonaras [4]) narratiunculam affert, quam eisdem fere verbis Valerius Maximus [5]), et qui eum exscripsisse videtur Frontini librorum interpolator [6]) tradunt. Zonaras quidem tribunum militum, cuius in ea narratione mentio fit, Q. Cassium, Valerius Maximus eum P. Aurelium Pecuniolam, Pseudo-Frontinus eum P. Aurelium appellat, tamen, si comparamus Valerii Maximi, Frontini, Zonarae narrationes, satis apparet, Valerium Maximum ipsum Livii libris usum esse, e Valerio Pseudo-Frontinum narrationem mutuatum esse, Zonaram Dione Cassio duce sua e Livio hausisse. Quem Livius auctorem habuerit, indagari nequit.

---

[1]) XXIII, 20. [2]) VIII, 14.
[3]) cfr. Cic. in Verr. II, 35, 86. Plin. nat. hist. III, 8. Pompon. Mela II, 7. [4]) VIII, 14. [5]) II, 7, 4. [6]) IV, 1, 31.

Valer. Max. II, 74.	Frontinus IV, 1, 31.	Zonaras VIII, 14.
C. Cotta P. Aurelium Pecuniolam sanguine sibi iunctum, quem obsidioni Liparitanae ad auspicia repetenda Messanam transiturus praefecerat, virgis caesum militiae munere inter pedites fungi coegit, quod eius culpa agger incensus et paene castra erant capta.	Idem P. Aurelium sanguine sibi iunctum quem obsidioni Lipararum ipse ad auspicia repetenda Messanam transiturus praefecerat, cum agger incensus et capta castra essent, virgis caesum in numerum gregalium militum referri et muneribus fungi iussit.	Αὐρήλιος — ἔπλευσεν εἰς Λιπάραν καὶ ἐν αὐτῇ χιλίαρχον Κύϊντον Κάσσιον καταλιπὼν προςεδρεύσοντα μάχης ἄνευ ἀπῆρεν οἴκαδε. Κύϊντος δὲ μὴ φροντίσας τῆς ἐντολῆς προςέμιξε τῇ πόλει καὶ πολλοὺς ἀπέβαλεν, ὁ μέντοι Αὐρήλιος μετὰ ταῦτα ἐκείνους ἑλὼν πάντας ἀπέκτανε καὶ τὸν Κάσσιον τῆς ἀρχῆς ἔπαυσεν.

Nimis exaggerata sunt, quae Orosius [1]) tradit, Cottam consulem in Siciliam transgressum plurimis proeliis adversus Poenos et Siculos terra marique pugnasse et per totam Siciliam partim hostium partim sociorum inhumatas strages reliquisse. Utrum Livius ipse haec narraverit, an Orosius Livii narrationem ampliaverit, diiudicari nequit; e Zonara, ut supra diximus, hoc tantum constat, a Livio esse relatum, praeter Himeram alia oppida esse capta.

Hoc anno census habitus est Romae, atque ut e Livio [2]) ipso comperimus, XVI senatores senatu moti sunt, ut e Valerio Maximo [3]) et Pseudo-Frontino [4]) cognoscimus, etiam CCCC equites, qui consulis imperium detrectaverant, a censoribus notati sunt.

Etiam anno a. u. c. DIII Romani quam maxime a rebus maritimis se abstinentes L. Caecilium Metellum C. Furium Pacillum consules in Siciliam miserunt; Poeni rebus prospere procedentibus elati Hasdrubalem cum triginta amplius milibus peditum equitumque et cum CXXX elephantis in Siciliam transire iusserunt. Hasdrubal autem quoad ambo consules

---

[1]) IV, 9. [2]) perioch. l. XVIII. [3]) II, 9, 7. [4]) IV, 1, 22.

coniuncti res gesserunt, pugnam detractavit, sed postquam alter consul cum dimidia copiarum parte Romam rediit, Hasdrubal Panormum profectus est, ubi alter consul castra habuit. Metellus consul proelium defugit, sed cum Hasdrubal agro Panormitano vastato urbem oppugnaturus copias et elephantos trans flumen traduceret, ipse exercitus partem ita instruxit, ut elephantos ingenti telorum multitudine perturbatos in ipsos Poenos verterent, qua re multi eorum proculcati sunt. Quo facto ceteras copias eduxit et Poenos fugavit et omnes cepit elephantos. Haec Polybius [1]) refert, quae si comparamus cum eis, quae Frontinus [2]), Eutropius [3]), Florus [4]), Orosius [5]), Zonaras [6]) ea de re tradunt, omnes eorum narrationes ex uno fonte haustae esse videntur, atque Polybius ipse Fabium inspexit, ceteri Livio auctore eum secuti sunt. De elephantorum quidem numero non satis consentiunt scriptores; Eutropius, Frontinus, Orosius CXXX elephantos in Siciliam missos esse dicunt, Eutropius XXVI esse captos, Orosius CIV, Florus C circiter, Zonaras CXX, Plinius [7]) qui Verrium Flaccum et L. Pisonem auctores affert, CXLII vel CXL elephantos a Romanis captos esse affirmat.

Diodorus [8]) his in rebus narrandis Philinum secutus esse videtur, cum victoriae laudem non Metelli prudentiae et astutiae sed fortunae potissimum tribuat et Hamilcaris imprudentiae, qui temere Romanos contemnens apud urbem Panormum castra non munivit, atque mercatoribus concessit, ut vinum in castra conferrent, qua re Metellus ebrios Poenorum mercenarios facile vincere potuit. Hic belli annus etiam praeclarus est fabulosa Reguli a Poenis capti legatione ad Romanos, qui ab his peteret, ut captivi commutarentur. Qua de narratione a veteribus auctoribus varie tradita a recentioribus rerum scriptoribus multa disputata sunt [7]), ita ut breviter tantum rem attingere mihi liceat. Eutropius [9]), Orosius [10]), Dio Cassius [11]), Zonaras [12]), qui Livium secuti esse videntur, diserte tradunt, Poenos fractis animis Regulum,

---

1) I, 39 et 40. 2) II, 5, 4. III, 17, 1. I, 7, 1. 3) II, 24. 4) p. 32 ed. Jahn. 5) IV, 9. 6) VIII, 14. 7) nat. hist. VIII, 6, 16. XVIII, 4, 7. 8) XXIII, 21. 9) cfr. Haltaus l. l. p. 356. 10) II, 24. 11) IV, 9. 12) frg. 43, 26—29.

quem per quinque annos captum detinuissent, cum legatis Romam misisse ut aut pacem aut captivorum permutationem impetrarent. Florus [1]) hanc legationem ante Metelli victoriam apud Panormum reportatam posuit, quod ea re fortasse explicatur, quod Livius [2]) Reguli vitam inde a pugna cum Xanthippo commissa usque ad eius mortem uno tenore narrasse videtur. Ex Appiani denique narratione de Regulo duo fragmenta exstant, quorum in altero [3]) Regulus post C. Lutatii Catuli victoriam Romam missus esse dicitur, in altero [4]) paullo post quam ille captus est, quarum narrationum discrepantia aut Appiani aut librarii levitate orta est.

De ratione, qua Regulus Romae se gesserit, atque de eius morte crudelissima satis concinunt auctores atque Valerius Maximus, Florus, Silius Italicus, Eutropius, Appianus, Orosius, Aurelius Victor Livium, Polyaenus, quod iam Woelfflinius recte affirmavit, Appianum, Zonaras Dione Cassio duce Livium secuti esse videntur. Dicit enim Valerius Maximus [5]): „Regulum palpebris resectis machinae, in qua undique stimuli eminerent, inclusum vigilantia et continuo tractu doloris esse necatum“, Florus [6]) ambigens „nec ultimo“, inquit „sive carceris sive crucis supplicio deformata maiestas Reguli“, Silius Italicus [7]) „in machinam ligneam introrsum stimulis hirsutam Regulum inclusum et cruci affixum esse“ narrat, Eutropius [8]) eum „omnibus suppliciis extinctum“ esse tradit, Orosius [9]) eum „resectis palpebris illigatum in machina necatum esse“ refert, similia Appianus [10]), Polyaenus [11]), Aurelius Victor [12]) commemorant. Zonaras [13]) non solum ea de re cum ceteris scriptoribus consentit, Regulum pacem Romanis dissuasisse, sed etiam de Reguli morte eadem atque Valerius Maximus refert. E Gellio [14]) cognoscimus ante Livium Aelium Tuberonem et Sempronium Tuditanum accurate de Reguli morte disputavisse; atque Tubero quidem haec tradidisse dicitur, Regulum in atras et profun-

---

1) VIII, 14. 2) p. 31 ed. Jahn. 3) cfr. perioch. l. XIX. 4) Sicul. fr. 2. 5) Sicul. fr. 4. 6) IX, 2, ext. 1. 7) p. 31 ed. Jahn. 8) de bello Punico II, 343. VI, 539. 9) II, 35. 10) IV, 10. 11) Sic. 2. Liby. 4. 12) VIII, 12. 13) c. XL. 14) VIII, 15. 15) VII (VI), 3 et 4.

das tenebras esse clausum ac diu post ubi sol ardentissimus esset visus, repente eductum esse et adversus ictus solis oppositum atque intendere in caelum oculos coactum esse; palpebras quoque eius ne connivere posset, sursum ac deorsum diductas insutas esse; Tuditanus autem somno diu prohibito Regulum esse necatum affirmat. Quae Tuberonis et Tuditani narrationes si comparamus cum ceteris, satis apparere mihi videtur, Ciceronem prorsus concinere cum Tuditano, a Livio autem Tuditani et Tuberonis narrationes coniunctas traditas esse.

Etiam Diodorus Tuditani et Tuberonis narrationes nosse videtur, cum Tzetza teste [1]), tradiderit Regulum vigiliis et metu esse necatum, palpebris enim resectis a Poenis inclusum esse eum cum fero elephanto in perangustum tabernaculum, sed quo ex fonte hausta sit haec narratio nescire me confiteor, cum vix crediderim a Philino talia de Poenis esse tradita; Fabius autem eius auctor eam ob causam vix esse potest, quod Polybius, qui ut supra demonstravimus, a Fabio varias de Xanthippo narrationes traditas esse dixit, si Fabius hoc loco Reguli tristem mortem commemorasset, non prorsus ea de re tacuisset. Zonaras [2]) Poenorum crudelitatem efferens addit: *ἃ πυθόμενοι οἱ Ῥωμαῖοι τοὺς πρώτους τῶν παρ' αὐτοῖς αἰχμαλώτων παρέδοσαν τοῖς ἐκείνου παισὶ καὶ ἀνταικίσασθαι καὶ ἀνταποκτεῖναι·* apud Diodorum [3]) quoque haec leguntur: *ἡ μήτηρ τῶν νεανίσκων βαρέως φέρουσα τήν τ' ἀνδρὸς τελευτὴν καὶ νομίσασα δι' ἀμέλειαν αὐτὸν ἐκλελοιπέναι τὸ ζῆν ἔπεισε τοὺς υἱοὺς κακουχεῖν τοὺς αἰχμαλώτους.* — Mirum est, quod Diodorus hoc loco crudelem Reguli necem non commemorat, sed eum *δι' ἀμέλειαν* mortuum esse dicit, sed haec discrepantia fortasse Diodori levitate explicatur, qui diversos auctores secutus non curavit, ne res inter se contrarias traderet. Itaque narrationem de Reguli nece e Romano quodam auctore, de Reguli morte narrationem e Philino hausisse videtur Diodorus. Hanc Diodori vel Philini narrationem Mommsenus [4]) probavit, atque merito et iure

---

1) hist. 3, 356. cfr. Dindorf XXIII, 46. 2) VIII, 15.
3) XXIV, 12. 4) Röm. Gesch. II, 530.

quidem, cum hac ratione illius fabulae origo optime explicetur: Reguli nex non causa fuit, quod Hamilcar et Bodostor, Carthaginienses capti, genti Atiliae traditi a Reguli coniuge interfecti sunt, ut Zonaras affirmavit, sed narratio de crudeli Reguli nece ab ipsis Atiliis postea conficta est, ut suam crudelitatem in Carthaginienses excusarent.

De Lilybaei obsidione quae anno a. u. c. DIV suscepta est a Romanis, Polybius, Diodorus, Zonaras satis accurate disputarunt, Orosii narratio nimis brevis est, neque novi quidquam affert. Polybius refert [1]) consules anno belli XIV Lilybaeum profectos esse, sin autem annos computamus, per quos iam bellum inter Romanos et Poenos erat gestum, deducimur ad XV belli annum, quod Orosii et Zonarae et fastorum testimoniis confirmatur. Atque Polybius ipse errorem postea sensisse videtur, cum sequentis anni consules P. Claudium et L. Junium perperam per duos annos muneribus functos esse dicat, ita ut Claudius Pulcher XV belli anno, L. Junius XVI anno consul fuisse tradatur.

C. Atilius et L. Manlius, Polybio teste, classe CC navium Lilybaeum sunt profecti, Diodorus [2]) dicit Romanam classem CCXL navium longarum Panormum atque inde Lilybaeum esse profectam. Haec Diodorus fortasse e Philino hausit, cum Orosius [3]) aeque ac Polybius CC tantum Romanorum naves commemoret, qua re apparet Polybium et Livium sua e Fabio desumpsisse.

In enarranda autem Lilybaei obsidione Polybius et Diodorus eundem auctorem secuti esse videntur, quem Diodorus accuratius exscripsit quam Polybius. Romani ab utraque urbis parte castra posuerunt, fossa, aggere, muro inter se coniuncta; deinde fossam, qua Lilybaeum urbs erat munita, partim expleverunt, ut machinae ad moenia admoveri possent; sed cum Romani murum delevissent, Lilybaei incolae alium exstruxerunt. Tum Carthaginiensium mercenarii urbem Romanis tradere voluerunt, sed Himilconis prudentia prohibiti sunt; atque auxiliis et frumento ex Africa allatis Poenorum animi confirmati sunt. His in rebus enarrandis non

1) I, 41. 2) XXIV, 1, 1. 3) IV, 10.

solum Polybius [1]) et Diodorus [2]), sed etiam Zonaras [3]) cum eis prorsus consentit, ita ut illi eodem fonte usi esse videantur, Philinum dico, quem Polybius et Diodorus ipsi inspexerunt, Zonaras Diodoro et Dione Cassio duce secutus est. In Diodori quidem ecloga res confusae sunt, cum Romani iam antequam Carthaginiensibus Lilybaei inclusis ab Hannibale vel Atarba auxilium ferretur urbem oppugnaverint, ut e Polybio et Zonara cognoscimus, in illa autem ecloga primum Hannibalis adventus narratur, deinde commemoratur a Romanis machinas esse exstructas ut urbis moenia diruerentur.

Pugna commissa est acris circa moenia, sed Romani repulsi sunt a Poenis. Fame atque pestilentia Romanorum milites vexati sunt, ita ut alter consul cum exercitus parte Romam rediret; quo facto Poeni ex urbe eruperunt et tempestate adiuti Romanorum machinas combusserunt. Has quoque res Polybius [4]), Diodorus [5]), Zonaras [6]) eisdem fere verbis narrarunt, Diodori quidem eclogarius rerum ordinem ita confudit, ut antequam alter consul discessisset, Carthaginienses ex urbe erupisse dicat.

Poeni, qui intellexerant in locis illis montuosis equites sibi nihil prodesse, dimiserunt eos Drepanum ut Romanos intercluderent commeatu; atque Romani solvissent obsidionem, nisi Hiero auxilia eis misisset. Harum rerum narrationem Polybius et Diodorus, ut supra diximus, e Philino hauserunt, Zonaras Dione duce e Diodoro. Quid Fabius de hac obsidione tradiderit, cognosci non potest, cum Orosius [7]), qui Livio duce eum secutus esse videtur, nimis brevis sit.

Annum proximum insignem reddiderunt duarum Romanarum classium clades, quas Polybius [8]) diligenter descripsit, Fabium secutus, cum satis consentiat cum Eutropio [9]) et Orosio [10]); Polybius quidem dicit XCIII naves Romanorum a Poenis esse captas, Eutropius et Orosius XC; sed consentiunt tres illi scriptores Claudium consulem cum XXX tantum navibus

---

1) I, 43 et 44. 2) XXIIII, 1, 1—3. 3) VIII, 15.
4) I, 44—48. 5) XXIV, 1, 4—7. 6) VIII, 15.
7) IV, 10. 8) I, 49. 9) II, 26. 10) IV, 10.

elapsum esse; Orosius dicit classem Romanam CXX navium fuisse, Eutropius CCXX, itaque in Orosii libro negligentia librarii navium numerus corruptus esse videtur, praesertim cum Orosius ipse dicat octo milia Romanorum esse occisa, viginti milia capta, quae hominum multitudo vix CC navibus capi potest. — Diodorus [1]), quamquam de navium a Poenis captarum numero cum Polybio, Eutropio, Orosio satis consentit, tamen e Philino hausisse videtur narrationem cum haec verba addat: *μετὰ νεῶν δέκα μόνον ἀνῃρέθη μὲν οὐδείς, ἐτραυματίσθησαν δ' ὀλίγοι,* quae verba etsi navium, quibus Poeni Romanos adorti sint, numerum corruptum esse appareat, tamen Poenorum iactationem ostendunt, quibus Philinus favebat. Dubitari autem potest utrum ea, quae Livius [2]) et qui eum secuti sunt Valerius Maximus [3]) et Florus [4]) de Claudii superbia tradiderunt e Fabio an e recentiore quodam scriptore, velut Licinio Macro desumpta sint, qui ut Mommsenus demonstravit [5]) gentem Claudiam ubique superbam fuisse ostendit; Polybius [6]) enim nihil de Claudio consule tradidit, nisi eum ob ignorantiam et temeritatem, qua proelium commiserit (*εἰκῇ καὶ ἀλογίστως τοῖς πράγμασι κεχρημένος*) a senatu in ius esse vocatum. Cicero [7]) quoque de Claudii Pulchri superbia egit, sed auctorem narrationis non commemoravit. Dio Cassius Livium secutus esse videtur, cum Zonaras [8]) accurate cum Livio et Floro consentiat et inter Dionis reliquias locus exstet [9]), quo de augurio egisse videtur. Livius [10]) prorsus consentit cum fastis Capitolinis, qui Claudium consulem victum a senatu revocatum iussumque dictatorem dicere Claudium Gliciam dixisse referunt, ultimae sortis hominem, qui coactus est magistratu se abdicare. Atilius Calatinus deinde dictator dictus est. Utrum Livius haec ex ipsis fastis hauserit an ex aliorum scriptorum libris, diiudicari nequit, cum Livii ipsius verba non exstent.

---

1) XXIV, 1, 5. 2) perioch. l. XIX. 3) VIII, 1, 4. I, 4, 3.
4) p. 32. ed. Jahn. 5) Röm. Forschungen I. 6) I, 52.
7) de nat. deor. II, 3, 7. de divin. I, 16, 29. II, 8. 20. 33, 41.
8) VIII, 15. 9) fr. 43, 33. ed. Dindorf. 10) perioch. l. XIX.

Dictator Calatinus re infecta Romam e Sicilia rediisse videtur, cum Zonaras [1]) eum nihil memoria dignum gessisse dicat. Deinde C. Iunius consul classe LX navium Messanam petiit atque inde CXX navibus longis et DCCC onerariis navibus Syracusas vectus dimidiam partem navium onerariarum cum nonnullis navibus longis Lilybaeum misit, ut Romanis urbem obsidentibus commeatum afferrent. Utrum haec Polybius e Fabio an e Philino desumpserit, indagari non potest, cum praeter Polybium nullus scriptor eius rei mentionem fecerit. Narrationem de L. Iunii consulis clade Polybius et Diodorus tradunt atque satis quidem concinunt; Polybius autem nimio brevitatis studio confudisse videtur res. Polybius enim refert [2]): *Ἀτάρβας — Καρθάλωνι τὸν συνάρχοντα δοὺς τριάκοντα ναῦς ἐξέπεμψε πρὸς αἷς ἔχων αὐτὸς ἑβδομήκοντα κατέπλευσεν.* Diodorus autem tradit [3]) Hannibalem XXX navibus a Carthaginiensibus missum esse ut Romanorum horrea Panormi diriperet atque Carthaginiensibus Lilybaei obsessis auxilia ferret; deinde Carthalonem LXX navibus advenisse atque Romanorum classem apud Lilybaeum in ancoris stantem adortum esse. Polybius igitur res ab Hannibale Panormi gestas prorsus omisit et Carthaloni XXX illas naves, quae, Diodoro teste, Hannibali sunt datae, praeter LXX naves, quas ipse adduxerat Carthalo, deditas esse dicit. In ceteris rebus narrandis Polybius et Diodorus satis consentiunt, Diodorus res prolixe, Polybius breviter tradidit.

Carthalo apud Heracleam classem, quam, ut supra dixi, Iunius consul Lilybaeum misit, insidiis circumvenit, et L naves onerarias XVIII naves longas demersit; deinde Iunio ipsi cum reliquis navibus appropinquanti insidias paravit sed tempestate orta Carthalo periculum evasit, Romanorum classis apud Camarinam periit [4]).

Hanc cladem Cicero [5]) quoque et Eutropius [6]) et Orosius [7]) commemorarunt; sed tam breviter ut eorum fons in-

---

1) VIII, 15. 2) I, 53. 3) XXIV, 1, 6.. 4) cfr. Polyb. I, 53 et Diod. XXIV, 1, 7—9. 5) de nat. deor. II, 3, 8. de divin. II, 33, 71. 6) II, 26. 7) IV, 10.

dagari nequeat, nisi forte id quod Cicero [1]) et Valerius Maximus [2]) de L. Iunio dicunt, eum post cladem sibi ipsum mortem conscivisse, nos commovet, ut Valerium Antiatem Ciceronis et Livii auctorem fuisse putemus, cum Polybius [3]) et Diodorus [4]) tradant, L. Iunium cum militibus, qui e naufragio servati essent, Lilybaeum profectum esse atque montem et urbem Erycem dolo cepisse. Polybius quidem has res breviter tantum narravit, sed cum eius narratio non repugnet ei, quam Diodorus accurate tradidit, hoc quoque loco ambo scriptores Philinum secuti esse videntur. Diodorum Dio Cassius adhibuit, cum Zonaras [5]) prorsus consentiat cum Diodoro de Erycis et Aegithalli occupatione.

Haec quoque expeditio, quam L. Iunius, Polybio teste [6]), susceperat, ut damna mari accepta resarciret, ei parum processit; Zonaras [7]) enim refert, L. Iunium Aegithalli a Carthalone esse captum, quae narratio fortasse a Philino memoriae tradita est, cum apud Romanos ut supra dixi, fama de Iunii morte voluntaria circumferretur.

P. Claudius consul a Romanis condemnatus est, ut Polybius [8]) et Cicero [9]) testantur; Valerius Maximus, qui duobus locis hac de re disputavit, sibi ipse repugnare videtur, altero [10]) enim loco, quo ipsa Valerii Maximi verba non exstant, e Nepotiani epitoma elucere videtur, Claudium esse damnatum, altero [11]) Valerius ipse affirmat subito coorto imbre Claudium tutum fuisse a damnatione; e scholiis autem Bobbiensibus [12]) constat, Claudium prima quidem die prodigio esse absolutum, alia autem die actione mutata a populo esse damnatum; qua re apparet, a Valerio Maximo altero loco, quo exemplum afferre voluit, quibus de causis infames rei absoluti sint, primum tantum iudicium esse commemoratum, altero, quo in universum de auspiciis disputavit, totam narrationem, quam e Livio hausit, traditam esse.

---

1) l. l. 2) I, 43. ipsa quidem V. M. verba non servata sunt, sed ex epitomis, quas Paris et Nepotianus conscripserunt, V. M. narratio satis cognosci potest. 3) I, 53. 4) XXIV, 1, 9.
5) VIII, 15. 6) I, 55. 7) VIII, 15. 8) I, 53.
9) de nat. deor. II, 3, 8. de divin. II, 33, 71. 10) I, 4, 3.
11) VIII, 1, 4. 12) apud Orellium p. 337.

Belli anno decimo septimo C. Aurelio Cotta, P. Servilio Genucio consulibus nihil memoria dignum in Sicilia gestum est, quam ob rem Polybius et ceteri scriptores fere omnes de hoc anno tacent; Orosius [1]) autem tradit Carthaginienses classe Italiae litora vastasse, atque Zonaras [2]) satis accurate res a Poenis in Sicilia gestas narrat, sed fontes eorum praeter Livium et Dionem Cassium indagari non possunt.

De rebus, quae anno decimo octavo belli gestae sunt, Polybius quidem satis prolixe disputavit, sed accuratius loca, quibus res gestae sint, quam ipsas res gestas descripsit. Polybius tradit [3]) hoc anno a Carthaginiensibus classi praefectum esse Hamilcarem Barcam, quod Zonaras [4]) iam proximo anno factum esse affirmat. Hamilcar Locrorum et Bruttiorum agros vastavit, deinde apud Panormum Hercta monte occupato et munito per tres annos acriter et ancipiti Marte cum Romanis pugnavit. Zonaras multo accuratius quam Polybius res exposuit, atque Dio Cassius Zonarae auctor, Livii et Diodori narrationes contaminasse videtur, cum res quae in Sicilia ab Hamilcare gestae sunt, a Philino traditae esse videantur, qui et Siciliae naturam bene novit, et a Carthaginiensium partibus stetit, res autem quas a Romanis prospere actas esse Zonaras commemorat, Livio deberi videntur, quia Romanorum fortitudo atque astutia nimis sunt elatae a Zonara. Praeterea aeque atque in Livii periocha [5]) captivorum commutatio a Zonara commemorata est. Polybio [6]) et Zonara [7]) testibus per tres annos ancipiti Marte apud Erycem a Romanis et Carthaginiensibus pugnatum est, sed nihil memoria dignum gestum.

Anno a. u. c. DX Hamilcar urbem cepit Erycinorum, quae sita est in medio monte [8]). Romani qui in montis cacumine et radice castra habebant, admirabili constantia Hamilcaris oppugnationem sustinuerunt. Hanc narrationem Polybius e Fabio hausisse videtur, et quia Fabium ipse appellat, et quia Romanorum fortitudinem valde laudat. — Dio-

---

1) IV, 10. 2) VIII, 16. 3) I, 56. 4) 1, 1.
5) l. XIX. cfr. l. XXII, 23, 6. 6) I, 56. 7) VIII, 16.
8) cfr. Polyb. I, 58.

dorus [1]), qui oppidi Erycis expugnationem accuratius exposuit quam Polybius, Philinum fortasse secutus est.

Sequenti anno iterum apud Erycem pugnatum est; tum Romani intellexerunt, non nisi pugna navali bellum ad finem perduci posse, itaque privati homines naves ornarunt, cum aerarium exhaustum esset [2]). Zonaras [3]), qui dicit Romanos Gallis mercenariis, qui a Poenis defecissent, in exercitum receptis ad classem aedificandam denuo animos convertisse, hanc narrationem certe Philino debet, cum Livius [4]) affirmet ante annum DXL a. u. c. mercenarios milites in Romanorum castris non fuisse. — Diodorus [5]) Philinum secutus esse videtur, cum Poenos liberaliores fuisse Romanis ostendat dicens Fundanium consulem post pugnam quendam cum Hamilcare commissam mortuos sepeliendos Poenis non dedisse, Hamilcarem autem, qui paullo post Fundanium vicerit, consuli roganti ut mortuos redderet, statim obsecutum esse.

Anno denique XXIV belli consul C. Lutatius Catulus ducentis navibus longis in Siciliam profectus est [6]). De navium numero auctores dissentiunt, Diodorus [7]) Romanorum classem CCC navium longarum, idem a Livio traditum esse ex Eutropii [8]), Orosii [9]), Aurelii Victoris [10]) libris cognoscimus; tamen vix crediderim, Diodorum et Livium ex uno fonte, Fabium dico, hausisse, cum Fabius, quem Polybius secutus est, CC navium classem Romanam dixerit esse.

C. Lutatius ex inopinato advectus Drepani portum et omnes Poenorum stationes circa Lilybaeum positas occupavit, Drepanum oppugnavit, sed urbe iamiam expugnata ipse inter primos pugnans vulneratus est [11]). Harum rerum narrationem Zonaras sicut Orosius et Eutropius Livio debere videtur, cum omnes prorsus inter se consentiant; Polybius has res silentio praeteriit in summa belli unice intentus.

Carthaginiensium classi, quae frumentis et copiis onusta Lilybaeum petebat, Lutatius occurrit eamque apud Aegusam

---

1) XXIV, 11, 14. 2) cfr. Polyb. 1, 60. 3) VIII, 16.
4) XXIV, 49. 5) XXIV, 9, 2—3. 6) I, 61. 7) XXIV, 11.
8) II, 27. 9) IV, 10. 10) c. XLI.
11) cfr. Eutrop. II, 27. Oros. IV, 10. Zonar. VIII, 17.

insulam vicit: L Poenorum naves demersae sunt, LXX cum sociis navalibus captae et decem fere milibus Poenorum. — Polybius [1]) qui pugnam navalem accuratissime descripsit, Philinum secutus videtur esse, cum Diodorus [2]), qui ad Philini auctoritatem provocat, satis cum Polybio consentiat; Polybius quidem Carthaginiensium naves CXX aut captas aut demersas esse, Diodorus CXVII, sed haec differentia facile explicatur Polybii brevitatis studio, qui plenum numerum afferebat. Captorum numerus in Diodori ecloga corruptus esse videtur, cum Philinus qui semper Carthaginiensium clades minuit, hoc loco eorum cladem ampliasse vix potest credi. Livius Valerium Antiatem videtur inspexisse, Orosius [3]) enim dicit LXIII Punicas naves esse captas CXXV demersas, triginta duo milia hominum capta, quatuordecim milia caesa esse; Romanas contra naves XII tantum esse demersas. Apud Eutropium [4]) numeri corrupti sunt, in codice Gothano legitur XXV, in Monacensi et Bambergensi LXXIII naves Poenorum esse captas; in omnibus codicibus CXXV demersas esse naves; in Fuldensi et Monacensi triginta duo milia Carthaginiensium esse capta, in omnibus libris manu scriptis tredecim milia Carthaginiensium occisa esse, e classe Romana XIII naves esse demersas. — Zonaras [5]) Dione Cassio duce sua e Livio hausisse videtur, cum non solum in pugna navali enarranda satis cum Eutropio et Orosio consentiat, sed etiam aeque ac Valerius Maximus [6]) referat C. Lutatium Catulum ipsum non praefuisse classi, sed claudum iacuisse in lectica, ita ut Q. Valerii Flacci praetoris ductu Punica classis victa sit. Denique Zonaras [7]) et Orosius tradunt Hannonem Carthaginem fugisse, quo narrationum consensu iterum probari mihi videtur, Dionem Cassium, Zonarae ducem, saepissime Livii libris usum esse.

Carthaginienses bello finem imponi cupientes Hamilcari Barcae mandarunt, ut de pacis conditionibus cum Romanis ageret. Polybius dicit [8]) a Lutatio pacem oblatam alacriter acceptam esse, cum Romanorum quoque opes attritae fuissent;

---

1) I, 61. 2) XXIV, 11. 3) IV, 10. 4) II, 27.
5) VIII, 12. 6) II, 8, 1. 7) VIII, 17. 8) I, 61.

Zonaras [1]) quoque tradit, consulem metuentem ne successor sui laboris fructus perciperet, libenter obsecutum esse Poenis pacem petentibus. Diodorus [2]) et Cornelios Nepos [3]) Philinum fortasse secuti, narrant, Lutatium negasse se bellum compositurum esse, nisi Hamilcar cum copiis suis sub iugum mitteretur, sed cum hic pertinaciter illam ignominiam refutavisset, cessisse Lutatium Hamilcari. Livius, qui Fabium aut certe Romanum quendam auctorem adhibuit, de eadem re haec verba facit [4]): „licuit ad Erycem clausos — fame interficere — veniam dedimus precantibus — omisimus ex obsidione.“

De pacis conditionibus auctores non prorsus consentiunt, atque Polybius ipse in primo operis libro [5]) non omnes illas pacis conditiones attulit, quas in tertio libro [6]) commemoravit, ubi omnia Romanorum et Poenorum foedera ex ipsis documentis retulit.

Orosius [7]) pacis conditiones has affert: „ut Sicilia Sardiniaque decederent Poeni, proque impensis bellicis puri argenti tria milia talentorum Euboicorum aequis pensionibus per annos XX penderent.“ Hoc loco Orosius, ut Woelfflinius [8]) affirmat, epitoma quadam Caelii Antipatri est usus, quod Orosii narratio prorsus repugnet Livii verbis [9]) Sardiniam fraude Romanorum interceptum esse. At illis verbis Livius non suam sed Hannibalis sententiam proposuit, neque fortasse ipse ea excogitavit, sed e Polybio mutuatus est [10]); praeterea mirum est, quod Orosius, qui in bello Punico enarrando unum Livium secutus est, conditiones, quibus bellum compositum est, e Caelio Antipatro hausisse dicitur. Ipsa autem Livii verba [11]), quae Woelfflinius commemoravit, ostendere mihi videntur, a Livio pacis conditiones has esse commemoratas ut Carthaginienses Sicilia et Sardinia decederent. Etiam Ampelius [12]), qui, ut inter omnes homines

---

1) VIII, 17. 2) XXIV, 13. 3) in vita Hamilcaris c. 1, 5.
4) XXI, 41. 5) I, 62, 7—9. 63, 4. 6) III, 27.
7) IV, 11. 8) Antiochus von Syrakus und Cälius Antipater, 1872. p. 40. 79. 9) XXI, 1, 5. 10) cfr. Polyb. III, 10, 1. 15, 16. 11) cfr. Liv. XXI, 40, 5. XXII, 54, 11. 12) in libri memorialis c. XLVI, 2.

doctos constat, Livium potissimum secutus est, dicit praemium fuisse Siciliae et Sardiniae possessionem. Denique Woelfflinius parum habuisse videtur rationem periochae libri XX Liviani, etsi confiteatur in ea mirum quoddam vestigium inesse narrationis eius, quam Orosius non e Livio sed ex epitoma quadam Caelii Antipatri hausisse dicitur. Verba enim, quibus Woelfflinii coniectura prorsus refelli mihi videtur, in Livii periocha haec leguntur: „Sardi et Corsi, cum rebellassent, subacti sunt"; Orosius [1]) eadem affert, qua re non solum comprobari mihi videtur Livium in omnibus his rebus enarrandis Orosii fuisse fontem, sed etiam pacis conditiones, quas Orosius attulit, a Livio esse commemoratas. — Livius autem ipse Valerium Antiatem secutus est, cum Caelius Antipater, qui bellum Punicum secundum scripsit, res in bello Punico primo gestas certe nimis leviter perstrinxerit. — Utrum Aurelius Victor [2]) qui dicit pacem petentibus hac conditione a Lutatio concessam esse, Sicilia Sardinia et ceteris insulis intra Italiam Africamque decederent, Livium an Valerium Antiatem secutus sit, diiudicari nequit, cum neque Livii neque Valerii Antiatis verba exstent. — Appianus [3]) pacis conditiones quidem satis accurate retulit, sed cum eo ipso anno, quo Carthaginienses a Lutatio pacem petiverunt, Regulum crudeliter a Poenis necatum esse tradat, nescire me confiteor, quo ex fonte ille sua hauserit; neque Zonarae [4]) sive Dionis Cassii auctor hoc loco indagar potest, cum eius narratio iusto brevior sit.

Anno insequenti triumphavit C. Lutatius Catulus proconsul, ut a fastis triumphalibus traditur. Praeter Lutatium etiam propraetor Q. Valerius Falto triumphum petiit, quia, ut supra dixi, vulnerato consule ipse classi praefuerit. Valerius Maximus [5]) tradit rem ad iudicem esse delatam, qui praetori triumphum negaverit, ne in honore triumphi minor potestas maiori aequaretur; tamen in fastis Capitolinis Q. Valerii Faltonis propraetoris triumphus commemoratus est. Itaque nescire me confiteor, utrum fasti sint corrupti an

---

1) IV, 11. 2) c. XLI. 3) Sic. 2. 4) VIII, 17.
5) II, 8, 2.

Livius [1]) erraverit, cum dicat neminem ad eam diem (qua P. Scipio triumphum de Hispanis petivisset) triumphasse, qui sine magistratu res gessisset.

---

[1]) XXVIII, 38.

Corrigenda.

p. 36 v. 2 ante vocabulum „Tyndaridem" praepositio „apud" praetermissa est.

p. 36 v. 3 lege „praetervectos" pro „praevectos."

p. 36 v. 8 lege „secutus esse videtur" pro „secuti esse videntnr."

p. 45 et 46 notarum numeri typographi errore confusi sunt, sed a quoque inter legendum facile corrigi possunt.

p. 47 v. 6 lege „Quas" pro „Quae."